Dar anonima

3/iva.

(autor Smalcius Valentinus.)

NOTÆ

In Libellum MARTINI SMIGLECII IESUITÆ,

Quem
Refutationem vanæ dissolutionis
Nodi sui Gordii
appellat.

Ex libris Jacobi Sienienski a Sienno
Zalasimidis Podoliæ

Anno 1614.
RACOVIÆ,
Typis Sternacianis.

ILLUSTRI ET MAGNIFICO DOMINO,

D. IACOBO

a Sienno SIENIENSKI,

Palatinidæ Podoliæ, Dño & hæredi in Rakow, &c. &c.

DOMINO MEO GRATIOSO.

QVanquam ea est dissolutionis Volkelianæ, quam adversus Nodum Smiglecii Gordium nuper edidit, vis & soliditas, ut, quicquid in hac refutatione Smiglecii scriptum est, possit ab eo, qui dissolutionem non oscitanter legerit, absq; ulla opera pariter dilui; & nihil dubitem, quin Volkelius, si aliqua hujus rei necessitas apparebit, sophismata quædam recens conficta Smiglecii facillimè detecturus sit: Tamen, quia illum, occupatione nunc gravissima distentum, vereor tam citò id præstiturum, ut res postulat, volui hunc quasi prodromum responsionis in lucē edere, ne nimis Smiglecius cum suis cristas erigat, &

bene

bene se rem, quam in Nodo Gordio cepit, confecisse existimet. Tibi autē, Vir Illustris *&* Magnifice, *dedicatum hoc volui, tum ut meam tui observantiam (ut debeo) testarer, tum ut in hac veritatis divinæ particula, quam etiam ab* Illustrissimo *tuo Parente, quasi hæreditate relictam habes, indies magis magisq; confirmeris, & ab insidiis, quibus hodie Jesuitæ incautos fascinant, tutus & salvus esse possis. Vale cum tota* Illustri *familia tua in Deo, ad gloriam ipsius & Ecclesiæ ornamentum quàm diutissimè & rectissimè. Cal: Novemb: 1614.*

Illustri Magnificentiæ Tuæ
addictissimus.
A. R.

NOTÆ 1614

In libellum Martini Smiglecii Iesuitæ, quem refutationem vanæ dissolutionis Nodi sui Gordii appellat.

Notæ in Præfationem.

1. LAcessitum se iterum, ait, descendere in aciem Smiglecius. Sed falsò. Nonné enim ipse nos petulanter lacessivit, & gloriabundus ad certamen provocavit isto suo nodo Gordio? Nos lacessiti respondimus, ne nimis sibi saperet cum sua Ecclesia Smiglecius: Smiglecius verò, ne victus veritati cedere videretur, petulantis scripti prioris arrogantem iterum instituit defensionem. *Dolus Smiglecii.*

2. *Hostes nos divini nominis appellat: a nostris sedibus Deum, religionem, & Legem exulare; apud nos, in iis, quæ ad religionem spectant, Libet & Licet pari pendi lance affirmat; & orthodoxæ ac salutaris veritatis certissimas pestes traducere nos non dubitat.* Gravis sanè eaque multiplex calumnia: Sed quia, a Iesuita profecta, non est, quod vir pius multùm eâ moveatur. Hic enim genius, nisi calumnias de adversariis suis spargeret perpetuò, non haberet, quo se tueretur amplius. Harũ quidem vindicias nos Deo planè cõmittimus; interim apud eruditos eas detegimus hoc modo: Deum colimus secundùm illius expressum verbum: in omnibus præcepta etiam illius servare ex animo conamur. cultores igitur divini nominis, licet indigni, veri tamen sumus. Deus, religio & lex, scilicet Dei, norma sunt nostræ religionis una & unica: nihil nobis licere putamus in religione, quod ipsemet Deus nobis non permisit per Christum: Orthodoxam & salutarem veritatem nos tenere vel hinc patet, quòd ea, quæ de Deo, Christo, & aliis veritatis Christianæ partibus confitemur plæraq;, nemo Christiani nominis jure repudiare possit. Iesuitis verò ista omnia competere jam perplurimis constat, & indies magis magisq; constiturum speramus: probaremus etiam, si res nimis manifesta non esset. *Calumnia Smiglecii.*

3. *Arianos* nos vocat, quos ab Arii opinione ita dissentire jam ante a nostris non semel ostensum est, ut Homousianorũ sententiam in articulo de filio Dei, sententiæ Arianorum, si, quod de plurimis Arianis fertur, ita Christum confessi sunt, ut adorationem & invocationem ei denegarent, anteferre non dubitemus. Hinc alii, qui nulla re cedunt Smiglecio, Theologi, injuriâ nos ita appellari *Cavillus Smiglecii.*

Ept

contendunt, & Photinianos nos esse asserunt, quos nulla antiquitas Arianos appellavit. Sed & hoc quàm sit inepta cavillatio, alibi a nostris ostensum est.

4. *Insignes in filium Dei blasphemias nobis impingit*, & tamen, ut ex iis, quæ antea & nuper a nostris edita sunt, constat, nullius adhuc erroris de filio Dei convicti sumus. Errores & blasphemias quas alii de Filio Dei conceperunt, dum detegimus, errare & blasphemare FiliumDei Smiglecio videmur.

5. *Rectè dicendi & sentiendi frontem nos exuisse, nihil in Catholica fide tam sanctum nos relinquere*, ait, *quod non convellere temeritate nostra attentemus.* Adhuc sub judice lis est, quænám sit Catholica fides; Pontificiam fidem, quia ab Apostolica degeneraverit in plurimis, quomodo non convellere attentemus, si Apostolicæ veritatis assertores videri, ut debemus, ita volumus? Smiglecius verò frustrà queritur, nisi suam Pontificiam religionem, Apostolicam esse doceat.

6. *Miratur, nos nequaquam arbitrari indignum, si Ministri nostri non sint successores Apostolorum, & potestatem (Ecclesiasticam extra verbum Dei) sibi non arrogent.* Nos verò miramur, Smiglecium cum suis id sibi arrogare, quod eis nullo modo, nullo jure competit, quodque in natura rerum non existit, successionem scilicet Apostolicam, verè & propriè sic dictam, & potestatem nescio quam brutam, quâ homines in servitutem redactos, ad proditionem etiam adigunt.

7. *Vera verorum Christi ministrorum decora ac ornamenta per summam injuriam ac impudentiam Ministros nostros sibi assumere*, *ait.* Si præter munus alios docendi, alia decora & ornamenta intelligit Smiglecius, ea nostri sibi non assumunt; Sacerdotibus illa Pontificiis non invident: Si ipsum docendi munus, illud injuriâ eos sibi & impudenter assumere tam diu erit falsum, donec doceatur, missionem vel vocationem Ministrorum esse necessariam.

8. Ait, *nos judicare, Ministros nostros nullo honore condecorandos, & omnibus ornamentis unà cum illis renunciare, & fateri nihil prorsus inter rusticanum à stiva hominem & nostrum Ministrum interesse.* Nos verò fictitios vestros honores tantùm spernimus, dantes operam illis, quos expressum Dei verbum attribuit Evangelii præconibus: & Ministrum a rusticano non ceremoniis histrionicis, sed divinæ veritatis scientiâ & vitæ inculpatæ præstantiâ differre credimus.

9. *Gentiles*, ait, *suos sacrificulos, quibus poterant, maximis decoribus affecisse: nos solos omnibus insignibus Ministros nostros spoliare.* In promptu causa est, quia nos non Gentiles sed Apostolos, religio-

nis

nis & factorum nostrorum magistros agnoscimus; & Ministri nostri non pro dominis nostris, quales vos esse vultis, sed servi Ecclesiarum agnosci & esse volunt.

10. *Nodi sui Gordii valorem commendat.* Sed quam frustra, dies docebit, & ego nunc etiam breviter ad oculum ostendam.

Notæ in Caput I.

Smiglecius statum quæstionis mutat.

1. Titulus est: *Ministros Ecclesiæ vocari à Deo, & ad sua munera consecrari, sacræ literæ docent.* Sed heus, non hoc in quæstione est, nomo. Confitemur enim & olim, Ministros Ecclesiæ vocari potuisse, imò vocatos fuisse, & nunc etiam vocari posse: An verò id, quod olim factum est, & hodie fieri potest, ad munus Ministrorum constituendum requiratur, hoc verè & perpetuò quæritur, quod quia Smiglecius probare nequit, statum quæstionis astutè mutat. Sed frustra. Iam enim Sophisticum illud stratagema Smiglecii hominibus innotuit.

Quid Smiglecio probandum sit.

Duplex argumenta solvendi mus.

2. *Ægrè fert Smiglecius, hanc rationem respondendi ad Nodum Gordium à nobis teneri, quam alii Evangelici non tenent.* Hi enim argumentorum plærorumque Smiglecii assumtionem tantùm negant: nos verò eorundem propositionem etiam inficiamur. At utrumque licere respondenti, ipsemet Smiglecius non nescit; & rectè fieri fateretur, nisi hac ratione, jugulum argumentorum suorum directè peti, experiretur.

3. Ait, *negationem necessitatis vocationis & missionis ministrorum, non divinis duntaxat testimoniis sed ipsi rationi repugnare.* Ego verò dico, divina testimonia nusquam ea necessariò requirere. Quomodo igitur repugnat negatio illorum, divinis testimoniis? Ipsa verò ratio dictat, eum docere alios posse, qui scientiam docendi habet.

Poni a Spiritu S. non infert missionem.

4. *Locus Act:* 20.28. quem hîc primùm citat Smiglecius, tantùm docet, Episcopos illos positos fuisse a Spiritu sancto: at non docet, eos per missionem esse positos. Positi enim fuerunt procul omni dubio vel a solo Apostolo vel ab aliis etiam senioribus Ecclesiæ. Hi verò neminem vocare aut mittere possunt. Semper enim is, qui mittitur, servus est ejus, qui eum mittit, & qui mittit, Dominus est ejus, quem mittit. Omnes autem Christiani sunt fratres: solus Christus est Dominus noster. Dico iterum, doceat locus iste, Episcopos illos non sine vocatione positos fuisse: At ponendos esse isto modo omnes alios Episcopos necessariò, nec locus docet, nec doceri ex eo potest. *Aliis etiam Ecclesiis prospectum fore, ut scilicet Episcopos*

Missio quorundã non infert missionem omnium.

scopos habeant, quod porrò infert Smiglecius hinc elici, concedi potest: sed an eadem ratione, nempe per vocationem & missionem propriè sic dictam, prorsus incertum est, imò falsum.

Perpetua Episcoporū duratio non infert missionē.

5. *Locus Ephes:* 4. 12. quem secundò allegat Smiglecius, itidem tantùm docet, Christum ab initio dedisse Ecclesiæ suæ diversos magistros & inspectores; docet etiam quis finis vocationis istorum fuerit; doceat porrò (ut hoc nunc concedamus, quod tamen falsum est) eos semper duraturos; docet deníque, quàm necessaria sit istorum vocatio: sed perpetuò, eodem modo dandos esse Ministros, quo isti primi dati sunt, nec hîc dicitur, neque alibi, nec ex ullo sacrarum literarum testimonio rectè colligi potest.

6. *Disputationi interseruit Smiglecius didacticum quiddam*, sed valdè ineptum. Negat nos Apostolicam doctrinam docere, *quia non eodem sensu illam doceamus, quo Apostoli eam tradiderunt.* At quid aliud docemus, si Apostolicam doctrinam non docemus? Sensum verò doctrinæ Apostolicæ ad homines vel Ecclesiam alligare, ô quanta est cæcitas, quanta præsumtio? Medium optimum est: ex clarissimis Apostolorum testimoniis, obscuriora intelligere. Clarissima autem Apostolorum testimonia de rebus ad salutem necessariis & maximè utilibus, non possunt non extare, nisi fidem Apostolorum, adeoque ipsam Dei providentiam in dubium vocare velimus. Qua de re extant nostrorum cætuum recens edita scripta, quibus etiam, quid de verbis Christi, *Hoc est Corpus meum*, (de quorum sensu hîc otiosè differit Smiglecius) sentiendum sit, sufficientissimè docetur.

Sensus scripturæ quomodo eruẽd⁹.

7. *Apostolos à Christo ad munus suum consecratos fuisse*, quod porrò affirmat Smiglecius, non negamus: sed nec alios omnes eodem modo consecratos fuisse vel consecrandos esse, unquam ostendet Smiglecius: nec manuum ista impositio pro consecratione quadam censenda est necessariò. Nam non semper Spiritus sanctus per eam omnibus conferebatur, ut ex loco Act: 13. 3. constat. Iam enim Paulus Apostolus fuerat, & Spiritu sancto donatus, & tamen manus ei impositæ fuere.

Apostolorū consecratio non infert aliorum ministrorum consecrationem.

Notæ in Caput II.

1. Hebr: 5. 4. *de omni honore, nempe Ecclesiastico, universè dici, iterum affirmat Smiglecius*. Sed frustra. Ipsum enim capitis initium, ex quo verba v: 4. dependent, de solo Pontificatu loquitur, & de solo Pontifice legali dæc duo ibi dicuntur. 1. Quòd ex hominibus eligatur.

Heb: 5. de honore pontificat⁹ legalis tantùm agitur.

eligatur. 2. Quòd vocandus ſit,ut etiam princeps pontificatus Aaron vocatus fuerat: & hanc dependentiam particula *Neque* ſatis apertè indicat.hæc enim alteriùs iſtius membri nota eſt.Et utrumque illud inverſo ordine de Chriſto oſtenditur, poſterius quidem v: 5,6.prius verò v: 7,8, & ita eum etiam eſſe verum noſtrum ſummum pontificem comprobatur. Teſtatur id etiam articulus voci *honorem* in Græco additus, quem alii eruditiſſimi interpretes etiam expreſſerunt, ut ſcilicet conſtaret, de peculiari honore ſermonem eſſe.Qualem Miniſtri ſibi nec arrogant:nec ullus alius hodie arrogare poteſt. Vnà enim cum aliis omnibus veteribus legalibus, hoc etiam præteriit;&qui aliter faciunt,illi hoc ipſo produnt,quid affectent, nempe, etiamſi ſecundùm Evangelii præſcriptum & canonem munus docendi illis non debeatur, debere tamen ob ſucceſſionem quandam, quam ſimilem legali ipſimet ſibi confinxerunt,pro talibus agnoſci.

Pontificatus legalis adminiſtros N. F. non pertinet.

2, Ait Smiglecius, *Chriſtum miracula in vocationis ſuæ ad munus pontificale teſtimonium protuliſſe.* Riſu dignum oraculum. Chriſtus enim tunc demum pontifex effectus eſt, cùm in Sanctum ſanctorum ingreſſus eſt, hoc eſt,cùm in cælos aſcendit. Vnde apertè dicitur, oportuiſſe eum fratribus per omnia aſſimilari, ut miſericors fieret & fidelis Pontifex. Quomodo igitur tunc miracula proferre ad vocationis ſuæ teſtimonium potuit?

Error ingens Smiglecii.

Heb: 2. 17.

3. *Non ferendum*, ait, *eſſe eum, qui ſeſe aliis temerè præponat.* Sed is qui ad docendum alios aptus eſt, temerè ſe aliis non præponit.Superat enim reverâ alios, quos docet, doctrinâ: Et qui alios docet, non ſeſe præponit aliis ita, ut eis imperare velit: imò ipſemet etiam aliis ſeſe ſubjicere tenetur,ut D. Petrus ait,1. 5.

1. Pet: 5. 5.

4. *Miſſione pariter omnibus prædicatoribus Evangelii opus eſſe, iterum ex loco Rom:* 10. *aſſerit.* Sed fruſtra.Ipſe enim contextus docet, de ſolis Apoſtolis ibi ſermonem eſſe: & alios etiam docuiſſe, qui a nemine miſſi fuerant tempore Apoſtolorum,ex ſacris conſtat literis, ut a noſtris abundè demonſtratum eſt, & infrà iterum demonſtrabitur. Plura vide infra cap:10.not: 2.

Rom: 10. de ſolis Apoſtolis ſermo eſt.

5. Ait, *licet quis vera prædicet, ſi non ſit miſſus, fidem non mereri.* Sed nullo id ſacrarum literarum teſtimonio, nulla ratione, nulla denique veriſimilitudine cõprobat. Falſiſſimũ autẽ id eſſe ipſa res loquitur.Vnicuiq; enim vera dicenti fidẽ eſſe adhibendã,quis ſanę mentis non videt? Rurſus verò miſſum,ex ſententia Smig: ab ipſis etiã Apoſtolis corrumpi & ita falſa docere potuiſſe, vel hinc conſtat,quòd Paulus Timotheo & Tito tam accuratè,quomodo ſe ge-

Cur miniſtro fides ſit adhibẽda. Miſſus corrumpi poteſt.

1. Tim: 3.15. & 4. 13, 15, 16. & 5. 21. & 6. 14, 20.

rere & quàm diligenter literas ſacras & Apoſtolicam doctrinam attendere debuerint, præſcribit, quod nec feciſſet, nec ut faceret opus fuiſſet, ſi ſola miſſio, quam eis datam ab Apoſtolis credit Smiglecius, ad id ſuffeciſſet, ut pro veris Miniſtris haberentur, & ea vera cenſerentur, quæ docebant.

1. Tim. 2. 15. & 3. 14. Tit. 2. 1. & 3. 8.

6. *Æquè teneri, affirmat, miniſtros, ut probent, ſe veram doctrinam prædicare, ut tenebantur Apoſtoli.* Sed non animadvertit Smiglecius, quantum fallatur ipſe & alios fallat. Apoſtoli enim id, quod antea nunquam auditum fuerat, docebant: miniſtri verò id, quod nemo Chriſtianorum verum eſſe negat, prædicant. Nec nunc inter nos diſceptatur, an vera ſint quæ prædicantur: ſed an ea, quæ vera eſſe utrinque creditur, eo ſenſu ſint accipienda, ut miniſtri volunt. Ad hoc verò teſtimonio tali opus eſſe, quali olim erant muniti Apoſtoli & alii eorum ſimiles, qui ſcilicet miracula edere ſolebant, nec ipſe Smiglecius cum ſuis agnoſcit. Ait enim, ſenſum ſcripturæ pendere ab eccleſia. Hoc verò quàm fallax ſit, jam ipſa dies docuit. Nunquam enim graviùs peccatum eſt, quàm cum eccleſiæ arbitrio permiſſa ſunt omnia; Et, quod caput rei eſt, nullus ſacrarum literarum locus docet, nulla denique ratio ſuadet, ab eccleſia aliqua, hoc eſt, ab hominibus qualibuscunque pendere debere ſacrarum literarum ſenſum. Taceo, quod etiamſi ab eccleſia petendus eſſet ſenſus S. literarum, magna ſupereſſet controverſia, a quanám is petendus ſit. Nam, ut demus, pontificios Chriſti eſſe Eccleſiam nomine tenus, certè ſe ſolos eccleſiam eſſe non niſi arroganter dicere poſſunt, cùm hodiè infinitus ſit eorum numerus, qui eccleſiæ Pontificiæ valedicto, Chriſti nomen ſacroſanctum profitentur, & ex eius Evangelio normam fidei & vitæ petere ſe publicè proteſtantur. Quos Chriſti eccleſiam non eſſe, non niſi ipſa impudentia affirmare poteſt.

Hodie diſceptatur non de veritate evangelii, ſed ſenſu.

Quibus competat Eccleſiæ nomen.

7. *Locum Ierem: 23, 21. objectat iterum etiam*, ſed fruſtra. Locus is enim de prophetis agit, quos tanquam novarum rerum prædicatores, miſſione egere nemo negat, & dignos eſſe reprehenſione, ſi non miſſi currant, confitemur: Miniſtri autem nec ſunt Prophetæ, nec ſe pro talibus vēditant. Quorſum igitur miſſio ab illis exigitur?

Locus Ier: de prophetis tantùm agit.

Notæ in Caput III.

1. Titulus eſt. *Miniſtros qui legitimè miſſi non fuerint, dici in ſcriptura adulteros, falſos prophetas, lupos rapaces, fures & latrones, Antichriſti ſectatores.* Ad hunc titulum & ad caput ipſum breviter reſpondeo.

ſpondeo. 1. Fatetur ipſe Smiglecius, adulteros appellari apud Ieremiam falſos Prophetas. Cum verò miniſtri non ſint Prophetæ (nihil enim novi annunciant) quomodo falſi prophetæ dici poſſunt?

Miniſtri cur non poſſint falſi prophetæ appellari.

2. Falſi prophetæ, quinám ſint Chriſtus Matth: 7 non deſcribit, ſed modum tantùm ſeductionis ipſorum indicat, quod ſcilicet (ut Apoſtolus id interpretatur) ſint habituri ſpeciem pietatis, ipſa pietate abnegata. Quomodo igitur ex iſto loco definiri aliquid poteſt de eo, quinám ſint falſi prophetæ? Iam ſi ex iſta deſcriptione conjectare aliquid licet, videat Smiglecius, an non ipſe cum ſuis omnibus digito quaſi notetur. Nemo enim ſpeciem pietatis majorem oſtentat, præter Monachos, qualescunq; tandem ſint: & nemo virtutem & animam pietatis magis quàm illi abnegavit. Vt autem Propheta verus eſt, non qui vera docet, ſed qui de revelatione divinitus facta, jure gloriatur: ita falſus Propheta eſt, non qui falſa docet, ſed qui de revelatione divinitus facta injuriâ gloriatur. Vnde conſtat, ad miniſtros nullo modo iſta Chriſti verba pertinere. Nam illi munus Propheticum ſibi prorſus non vendicant, ſed tantùm ſunt paſtores vel doctores Eccleſiæ Chriſti. Chriſtus verò in eo loco de falſis prophetis cavendis præcipit.

2. Tim: 3. 5.

Quis ſit falſus propheta.

3. Fures & latrones ſunt, qui oves Chriſti perdunt. Hoc an miniſtri faciant nec né, controverſum omnino eſt. De Ieſuitis autem id verè dici poſſe, tam eſt obvium ut vix aliud quid magis. Iam ſi illud etiam huc referatur, quòd non rectâ viâ ad munus ſuum miniſtri accedant, inveſtigandum relinquitur, quænám ſit illa via illegitima. Certum eſt autem, Chriſtum eos etiam ita perſtringere, qui ab aliis ſui ſimilibus & poteſtate ad eam rem præditis vocati erant. Illegitimâ autem viâ ad populum Dei perveniſſe, nonné ideò dici poterant, quia variis technis, ut vocarentur, effeciſſent? Hoc verò totum iterum hodie ad ſe ſuosque accommodet Smiglecius.

Quinám ſint fures & latrones.

4. In nomine ſuo venire, eſt, gloriari ſe miſſum eſſe, cùm non ſis miſſus: ut, in nomine Dei venire, eſt, jure gloriari miſſionem. Miniſtri autem noſtri non gloriantur ſe eſſe miſſos. Nihil igitur ad eos id pertinet, quod Chriſtus de aliis ſibi diſſimilibus dixit. Ioh: 5. 43. Quanquam hunc locum ad Antichriſtum referre, nulla prorſus cogit neceſſitas.

5. Explicationes ſcripturæ, quis ſit oſtiarius, quis oſtium ad ovile, & alia his ſimilia, qualia pãdit Smig: cujus ſint momẽti, expẽdat cordatꝰ lector. Chriſtꝰ ſimilitudinẽ pandit: In hac non tam verba quàm res ſpectãdas eſſe, qui non intelligit, nomẽ Theologi tueri poteſt minimè. Quorſũ igitur iſta explanatio, quis ſit oſtiarius, quis

oſtium

oſtium &c. Sed mavult fortaſſe Smiglecius errare cùm ſuis doctoribus, quàm bene ſentire cum aliis.

Notæ in Caput IV.

1. *Rationi*, ait, *repugnare, Miniſtros nulla vocatione aut miſſione opus habere. Quia ut in Republica, ſic etiam in Eccleſia nemo munus publicum ſine magiſtratus autoritate obire queat.* Sed non animadvertit Smiglecius, ſe hac ratione vocationē & miſſionem ſuam peſſundare. Hinc enim tantùm ſequitur, non poſſe aliquem commodè absque aliorum approbatione munus aliquod obire, quod nos concedimus: Miſſio autem hac ratione eliditur. Nam ut liberum eſt in libera Republica, eum, qui aptus ſit ad munus obeundum, eligere, ſic in Chriſti eccleſia, quæ eſt liberrima, licebit etiam eum, qui ad docendum alios aptus ſit, ad id munus eligere, & ita ſibi præficere. Vt autem porrò in Repub: nemo alicui id, quod ad munus aliquod obeundum propriè requiritur, nempe ſcientiam & dexteritatem eo perſungendi, dare poteſt, ſed tantùm, qui jam aptus eſt eligitur: ſic etiam nemo in eccleſia id alicui dare poteſt, quod ad munus docendi alios propriè ſpectat, ſed tantùm is, qui jam aptus eſt, ad id munus, conſtitui vel approbari poteſt, quod longè aliud eſt quàm vocatio & Miſſio, vel certè non niſi admodum impropriè ita appellari poteſt.

Approbatio miniſtri ab aliis quatenus requiratur.

2. *Non licere*, ait, *cuivis in Republica judicem conſtituere, ſed a legitima poteſtate judicem præficiendum.* Sed nec nos aliud volumus. Vt enim unicuique Reipub: licet, quem velit, judicem ſibi conſtituere: ſic etiam nos in noſtra eccleſia, quos volumus, miniſtros conſtituere poſſumus, modò ſint ad id munus apti, quod quivis facilè dijudicare poteſt. Sed non poteſt præ nimio faſtu agnoſcere Smiglecius, Eccleſiam Chriſti alibi etiam eſſe, quàm Romæ. Hæc ſuo modo eligat ſuos miniſtros: nos vel ſeniores noſtræ Eccleſiæ, ſi Chriſti & Apoſtolorum in eligendis miniſtris ſequamur præcepta, ſatis habemus. Hæc verò eos miniſtros eſſe poſſe confirmant, qui & ad docendum alios apti & vitæ ſint inculpatæ.

Quævis Eccleſia poteſt miniſtrū conſtituere.

3. *Ordinationem porrò miniſtrorum ſolis competere Eccleſiæ paſtoribus & rectoribus, probat exemplo Timothei & Titi, & eo, quòd Tito de ordinandis præsbyteris præcepit Apoſtol^o.* Sed primùm ordinatio differt a miſſione, illa hominibus etiam competit, hæc ſoli Deo & Chriſto, de quo infrà plura. Deinde non probat Smiglecius, quod neceſſe eſt, Timotheum & Titum a ſolo Apoſtolo fuiſſe conſtitu-

Ordinatio & miſſio differunt.

tos

tos abſque aliorum, qui nec Apoſtoli nec Epiſcopi erant, ſuffragiis; & rurſus Titum ſine ſuffragiis aliorum præſbyteros ordinare potuiſſe vel ordinaſſe: nec etiamſi probaret, id neceſſarium eſſe omnibus ſeculis ſequeretur. Poſſunt enim multa præcipi, quæ utilia & decora ſunt, quæ tempus ipſum & aliæ circumſtantiæ deinceps mutant.

4. *Poteſtatem ſpiritualem, vel in animas, miniſtris datā eſſe aßerit, quia pro animabus vigilent* Sed valdè ineptè & præſumtuoſè. Non enim habet poteſtatem animarū, qui vigilat pro animabus, vel qui pro animabus rationem redditurus eſt Deo: Imò is, qui vigilat pro aliqua re, ſervus illius cenſeri poteſt: Nec ex eo, quòd alicui debetur obedientia, quod ex Heb: 13. 17. adducit Smigl:, ſequitur eam illi deberi ſimpliciter. Chriſto enim ſoli & Apoſtolis (idq; quaten⁹ moralia præcipiunt) debetur abſolutè obedientia: Reliquis omnib⁹ ſecundùm quid & reſpectivè, ſi ſcilicet Chriſti & Apoſtolica præcepta tradant. alioquin vel nulla, vel ſaltem non talis, quæ conſcientiam obliget, quod parum velpiè aſſerit Smiglecius.

Qualis debeatur obedientia miniſtris.

5. *Præcepta ad rectum ordinem ſpectantia ſtatuere poſſe miniſtros*, non negatur. Sed nec ſoli id facere abſque eccleſiæ conſenſu poſſunt: nec ea ad conſcientias obligandas ullo modo pertinent. nam ipſorum etiam Apoſtolorum talia præcepta non per vim eccleſiæ obtruſa fuere, ſed, ſi vos a rebus vetitis cuſtodieritis, benè agetis, ait Lucas; nec conſcientiam ullius hominis obligârunt unquam: imò, ut certas ob cauſas certo tempore data fuere, ſic etiam cauſis illis ceſſantibus exolevere.

Quatenus & qualia præcepta dare poſſint miniſtri.

6. Ait, *ſi quis Eccesiam non audiverit, ejusque præceptis contumax repertus fuerit, eum excommunicandum, & tanquam Ethnicum & publicanum ab omnibus habendum.* Sed quatuor errores committit, dum id affirmat. Nam I. de miniſtris ſermo inſtitutus fuerat, Quomodo igitur in eccleſia finitur? Cùm non ſoli miniſtri ſint eccleſia: imò eccleſia tacitè miniſtris opponitur. Miniſtri enim eccleſiæ ſunt miniſtri. Et ita poteſtas hîc auditorum unâ cum Miniſtris aſſeretur potiùs, quàm miniſtrorum tantùm II. Non univerſaliter vel abſolutè dicitur a Chriſto: ſi quis eccleſiam non audierit &c. Sed tantùm dicitur: *Si autem Eccleſiam non audierit*, nempe is, de quo ſermo inſtitutus erat, qui ſcilicet alium offendit, & offenſum non vult reconciliare. Et ſanè rectiſſimè. Cùm enim eccleſia ſit fidelium omnium congregatio, tam auditorum quàm paſtorum, quid eſſet ineptius, aut periculoſius, quàm præcipere, ut quis eam ſimpliciter & abſolutè audiat? III. Falsò Eccleſiæ præcepta affingūtur, Nulla enim ſua habet eccleſia præcepta talia, quæ ſi quis non audiat,

Locus Matth: 18. non de miniſtris ſolis ſed de eccleſia loquitur.

Non præcipitur, eccleſiam abſolutè audire.

Eccleſia non habet ſua præcepta.

diat,pro publicano habendus sit. Nec locus præsens id suadet. Hîc enim tantùm dicit: *Et si ecclesiam non audierit.* potest autem is etiam dici ecclesiam non audire, qui non audit Christi præcepta, quæ Christi nomine ecclesia ei proponit. Et hunc esse loci hujus sensum inde constat, quòd nullum prorsus ecclesiæ judicium Christus appellandum esse innuit, cùm ecclesiam adire jubet. Iam enim antea de re, cujus causâ ecclesia adeunda est, constare debet, quàm eam adire licet: imò nisi de re, cujus causâ adeunda est ecclesia, cōstet, hoc est, si is, qui deferri debet ad ecclesiam, neget, se peccasse in alium, nullo modo ecclesia adeunda esset. Hoc enim & cum prudentia & charitate pugnaret quàm maximè. Sed ideo adire jubet Christus ecclesiam, ne quicquam omittatur, quod ad fratrem delinquentem corrigendum pertinet. Solet enim homo non perditus, ad multorum monita citiùs erubescere, quàm ad unius atque alterius, cùm suspicio de paucorum corruptione & malevolentia facilè obrepere possit: de omnibus autē non item IIII. Verba Christi, sit *tibi*, nempe offenso, sicut Ethnicus & Publicanus, Smiglecius ita cum suis allegat, ut *ab omnibus* pro Ethnico & publicano habeatur.

Quænam pœnæ in Ecclesia & quomodo ad ministros pertineant.

7. Allerturus Tyrannidem ecclesiæ suæ, *exempla paucorum ab Apostolis punitorum recenset Smiglecius.* Sed ut ipse cum suis Apostolus non est, ita nec potestatem illam exercere potest. Satanæ enim hominem tradere, quæ prima punitio est, singulare quiddam fuit, quod præter Apostolos nemini concessum erat. Quanquam etiam falsum est, Petrum, quæ secunda est punitio, vitâ privasse Ananiam. Potuit enim id fieri non Petri sed Christi virtute & potestate. Prohibitio verò inobedientium a communione fidelium, quæ tertia est punitio, non ministrorum est tantùm, sed etiam auditorum, ut loci 1 Cor: 5. 11. & 2 Thess: 36. evidenter demonstrant.

Paulus quomodo judex fuerit fidelium.

8. *Paulum* ait Smigleci⁹, *Deum, infidelium, se verò fidelium judicem agnoscere.* Sed non pari ratione. Deo enim licet judicare infideles, pro ut ipsi libet: At Paulo tantùm ita, ut Christus permisit. Adde, quòd Paulus 1. Cor: 5. 12. sub sua persona de omnibus fidelibus loquatur. Nam quod semel dicit, *Quid enim mihi, & eos qui foris sunt judicare*, id sic statim repetit, *Nonné qui intus (sunt) vos judicatis*, & iterum: *Auferte malum ex vobis ipsis.* Auferre autem malum, idem est, quòd judicare.

Pastorem esse, nō infert, licentiam præcepta sua imponendi.

9. *Ex eo, quòd Ministri pastores appellantur, colligit, eos etiam præcepta sua imponere posse.* Sed vitiosè & ineptè. Nonné enim is, qui ex alienis præceptis aliquem regit, regere eum dici potest? Et non-

né is,

né is, qui, cùm servus sit Ecclesiæ, dominum se illius facit, contra ipsius Petri præceptum delinquit, dum ait: *Non dominantes hæreditati*, nempe Christi, *sed exemplaria facti gregis*. 1. Pet. 5. 3.

10. *Ex eo, quòd Paulus sua præcepta & suum verbum urget, colligit, Ministros etiam sua habere præcepta.* Sed vitiosè iterum & impiè. Nam Minister non est Apostolus. Apostolus est magister omni exceptione major, & Christo quodammodo par: Minister autem discipulus est unâ cum aliis auditoribus Apostolorum. Apostoli fundamenta sunt Ecclesiæ: Ministri membra tantùm Ecclesiæ unâ cum aliis. Deinde non omnia præcepta Apostolica sunt paria. Nam quæ extra Christi præcepta Apostoli tradiderunt, ea nec universalia sunt, nec perpetua, nec ad salutem quicquam pertinent; ideoque pro ratione temporum & aliarum circumstantiarum observari vel non observari, salvâ conscientiâ, possunt. Quanquam semper præstat ad ea, quæ ab Apostolis præcepta sunt, in ordine & decoro observando, respicere.

Ministri non sunt pares Apostolis.

Non omnia præcepta Apostolica sunt paria.

11. *Bigamos ordinari non debere, ait, quia Paulus dicat, de Episcopis & Diaconis, sint unius uxoris viri.* Cur verò pudenda suæ Ecclesiæ non tegit potiùs Smiglecius, quàm, ista effutiendo, prodit, a Spiritu Dei desertam fuisse eam Ecclesiam, quæ rem tam levem & obviam non intellexerit olim, & hodie non intelligat? Quid enim sit, unius uxoris virum esse, vel hinc constat, quòd idem Paulus tales viduas eligi, quibus scilicet Ecclesia de omnibus prospiciat, velit, quæ, ut aliis virtutibus Christianis, sic etiam eâ præditæ sint, quòd unius Viri uxores fuerint. Hoc autem de bigamis intelligere, nonné esset ridiculum, nempe non esse prospiciendum de omnibus necessariis ei viduæ, quæ matrimonium bis vel etiam ter repetierit, cùm ipsemet Apostolus jubeat, ut viduæ juniores iterum nubant?

Ignorātia Ecclesiæ Smiglecij.

1. Tim. 5. 9, 14.

12. *Ex præcepto Apostolico, quod habetur Act. 15., colligit, licere etiam Ecclesiæ, statuere quæ velit*, & hinc concludit, *placita Ecclesiæ Romanæ de Eucharistia à jejunis sumenda, de quadragesimæ jejunio, de ritibus Sacramentorum, de festorum celebrationibus, & similia, observanda esse.* Sed non sine gravi & multiplici errore. Nam concilio Apostolico præsidebant Apostoli, qui in religionis negotio errare non poterant: Hoc verò nemini præter illos concessum fuit unquam, nec universæ Ecclesiæ. In concilio Apostolico id decretum fuit, quod nec ad omnes in universum Christianos, nec ad omnia tempora respiciebat, sed, ut certarum regionum causâ traditum fuerat, sic etiam fortasse per paucos annos duravit. Legimus enim in scriptis

Diversitas concilii Apostolici ab ecclesiæ Romanæ placitis.

Rom:14.7. 1.Cor:8.8. Col:2.16.

Pauli Apoſtoli,talia,quæ iſti præcepto prorſus ſunt contraria. Et ipſum præceptum ita ceſſaſſe videmus, ut hodie a nemine, qui verus ſit Chriſtianus,obſervetur, Huic libertati,an ſubjecta eſſe velit Eccleſiæ ſuæ Romanæ placita Smiglecius, ipſe viderit. Equidem ſi ea,quæ a Spiritu ſancto profecta fuiſſe conſtat, mutationem admiſère,quia ſcilicet non ad naturam religionis,ſed ad evitandum ſcandalum tantùm pertinebant: multò magis ejusdem valoris eſſe putaverim; quæ merè ſunt humana commenta, & quæ nec a Spiritu ſancto, nec a ſana denique ratione profecta ſunt. Et ut ea obſervanda credit Smiglecius, ob Eccleſiæ ſuæ autoritatem: ita ea poſſe nõ obſervari ab aliis,qui iſtius Eccleſiæ jugum excuſſerunt,ipſa res loquitur. Nam quæ ratio eſſe poteſt idonea & religione digna, cur a jejunis ſumatur cœna Domini neceſſariò,niſi forte,ne ebrii,quorum infinitus eſt in Eccleſia Romana numerus, ad eam accedant? Quid eſt, præter ſuperſtitionem, in quadrageſimæ jejunio? & quomodo iſtud ab illis ipſis, qui illud confinxerunt, obſervetur, judicet ipſemet Smiglecius. Iam enimnos illud hoc ſatis ſuperq; novimus. Ritus verò Sacramentorum,nec minus feſtorum celebrationes,horrendam nobis pepererunt idololatriam. Itaque multò rectiùs eſt, iſta omnia prorſus intermittere,quàm cum præſenti ſalutis periculo ſe & alios,obſervatione iſtarum næniarum, in exitium præcipitare.

Cur placita ecclesiæ Romanæ obſervanda non ſint.

13. *Dæmonem etiam, ait, poße eſſe apud nos legitimum miniſtrum, ſi nimirum & ille hoc officio fungi velit, & nos in eum conſentiamus.* At hoc & ſcurrile ſcomma, & inſignis eſt calumnia. Scomma non exagito:calumniam detego.Nam non hæc duo quæ recenſet Smiglecius,Miniſtrum conſtituere affirmamus : ſed ſufficere ad ipſam naturam muneris dicimus hæc duo: ſi ſit aptus ad docendum alios Evangelium,& vitam degat cum pietate.quod utrumque quomodo Dæmoni convenire poteſt? Illud quod de approbatione aliorum dictum eſt, non ad naturam muneris pertinet, ſed ad ipſum ordinem & decorum.

Smiglecii petulantia & calumnia.

14. *Dæmonem multò exactius loca varia ſcripturæ adducere, & explanare poſſe, ſive contra Chriſti divinitatem, ſive contra baptiſmi & Sacramentorum neceſſitatem,quàm ullus alius noſtrorum Miniſter*, ab animo impotenti & præturgido profecta ſunt verba, & calumnioſa convitia. Non enim, qui varios ſacrarum literarum locos adducere nôrunt, apud nos Miniſtros eſſe,credo jam vos expertos eſſe. Malè autem, ut apparet, Smiglecium habet, quòd noſtri Miniſtri ſcripturas ita explanare poſſunt, ne,quam ipſemet, non ſine Dei

Smiglecii convitia & calumnia.

Patris

Patris gloriæ imminutione, & spei humani generis labefactatione, sequitur de Christi divinitate, opinatio, ampliùs obtinere possit, salvâ interim verâ & divinâ de Christi divinitate sententiâ, quæ non in cognitione essentiæ sed exaltationis Christi consistit. Contra Baptismi autem & Sacramentorum (si Cœnam Domini excipias) necessitatem, scripturas a nostris Ministris explicari, cur tandem reprehendit Smiglecius, cùm nec Sacramenta ea esse, quæ talia censet ipsius Ecclesia, constet; nec etiamsi Sacramenta essent, necessaria ea ad salutem esse, ulla ratione docere possit?

Christi divinitas in quo consistat.

15. *Ministris nostris neminem securè posse acquiescere*, ait, *tum quia testimonium divinum, tum quia scripturarum sensum non habeant.* Sed divino testimonio, quale hîc intelligit Smiglecius, opus esse nondum demonstratum est: Sensum verò Scripturæ rectum, quo proculdubio opus est, quomodo non tenent nostri Ministri, in rebus saltem ad salutem necessariis, cùm in illis sensu etiam nullo opus sit, sed solo τῷ ῥητῷ: In reliquis verò, ad salutem scilicet utilibus, errare quomodo possunt, si his clarissimis nihil admittant contrarium?

Ministri sensum scripturæ cur habeant.

16. *D. Petrum docere, scripturam propria interpretatione non fieri*, quod ait Smiglecius, falsum est. Nam de prophetia Scripturæ id tantùm affirmat Petrus. Omnia verò, quæ ad salutem spectant, absque ulla etiam interpretatione intelligi posse, parumné liquet ex eo, quod ad simplices ab initio omnia scripta fuere?

Quaten⁹ scriptura propria interpretatione fiat vel non.

17. *Hæreticum esse proprio iudicio condemnatum*, quod Paulus ait, nihil juvat Smiglecium, nisi probet, nos hæreticos tales esse, de quibus Paulus loquitur. Quod, quamdiu non docetur, nostros Ministros talia dogmata tenere, quæ fidem in Christum tollunt, verum in illis nunquam esse potest: in Smiglecium verò facile retorqueri posse, nimis est obvium.

Quis sit hæretic⁹

18. *Verba Christi, Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit, non solùm ad Apostolos sed etiam ad alios doctores Ecclesiæ accommodat.* Sed admodum audacter & imperitè. Vt enim Apostoli nulli sunt hodie, sic etiam talis obedientia cessavit: & nemini prorsus debetur, nisi quatenus ea præcipit vel docet, quæ ipsi Apostoli pręceperunt olim & docuerunt.

Doctores ecclesiæ non pares Apostolis.

19. *Solam Romanorum Pontificum successionem legitimam esse ordinationem* ait. Sed nulla id autoritate, præter Irænei, Augustini, & patrum antiquorum, nempe pontificiorum, munit. Interim nos id non sine injuria aliorum Apostolorum fieri contendimus. omnes enim Petro pares esse testantur sacræ literæ, ut infrà docebitur.

Romana successio cur non præstet aliis.

Omnib' Apostolis competuntque Petro.

20. *Soli Romanæ sedi competere*, ait, *quæ D. Petro dicta sunt & promissa.* Sed iterum nullam affert, præter Sanderi, Bellarmini, Baronii, hoc est, hominum pontificiorum autoritatem, quâ nulla potest esse infirmior, addo etiam, fallacior. Nemo enim de semetipso jure testari potest. Quæ verò Petro dicta sunt, non soli Petro, sed sub ejus nomine reliquis etiam Apostolis dicta esse, jam pridem demonstratum est. Tam enim adversus Ecclesiam, quam Paulus docuit & alii Apostoli, portę inferorũ nõ prævalebũt quàm nõ prevalebũt adversus Ecclesiã a Petro fundatã. Omnes enim fideles & singuli tandẽ ex inferno liberati cũ insultatione dicent: *Vbi est victoria tua, inferne*, qui infern', vel portæ illi', aliud nihil est, quàm mortuorum status & conditio. Tam porrò aliis Apostolis oves suas commendavit Christus, quàm Petro. Omnibus enim dixit: *Ite, facite discipulos omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris & Filii & Spiritus sancti, docentes eos servare omnia, quæ præcepi vobis.* hoc autem modo, & non alio, pascuntur Christi oves. Imò ista specialis ovium commendatio, quæ Petro contigit, & precatio Christi pro illo, ne fides ejus deficeret, tantum abest, ut excellentiam quandam Petri contineant, ut potiùs indicio sint, Petrum, quia graviùs peccârat, quàm alii Apostoli, peculiari etiam ratione confirmari debuisse, ne animum desponderet, sed sciret se in Apostolatu conservandum esse. Astutus autem est Smiglecius, qui commendationem ovium, quæ Petro contigit, anteponit Christi pro Petro precibus. Quasi scilicet postea, quàm commendatæ fuerant Petro oves a Christo, rogârit Patrem Christus, ne fides ejus deficeret, quod falsum est. cùm id antea factum esse constet. Defectura enim videbatur fides Petri, Christo mortuo. quia nimis audacter Christo, mortem suam & fugam illorum annuncianti, & Prophetæ verbis confirmanti, sese opposuerat. Effecit igitur precibus suis Christus, ne illud fieret, hoc est, ne Petrus a fide deficeret per illud tempus, quo Christus mortuus fuit. Præterea tam potestas ligandi & solvendi data est omnibus Apostolis, imo ipsi etiam Ecclesiæ, (ad quam plures pertinere necesse est quàm Apostolos) quàm ipsi Petro. Ioan:20.22. & Matth:18.18. Denique quæ soli Petro dicta sunt, ad Pontificem Romanum, eumque solum, pertinere, ô quàm putida est & affaniarum plena fabula!

1. Cor: 15. 55.

Matth: 28. 19.

Dolus Smiglecii

Notæ in Caput V.

1. *Contra id, quod nos affirmamus, in cœna domini per fractionem*

& man-

& manducationem panis, per fusionem item & bibitionem vini, fieri commemorationem & quandam repræsentationem mortis Christi, in qua corpus illius fractum & sanguis fusus fuit, quo nihil verius dici potest, *affirmat Smiglecius, (non sine pertinacia) in cœna domini esse verum corpus & sanguinem Christi.* Sed quàm hoc sit falsum, ex eo constare potest, quòd tunc, cùm Christus panem & calicem porrigeret Apostolis, ipsemet ad mensam illibatus assedit, & deinde demum captus & interemptus fuit, quod nos Pontificiis perpetuò obiicimus: ipsi verò nunquam directè impugnant, nedum refutent.

Cur in Cæna à Domino instituta corporis & sanguinis Christi usus non fuerit.

2. Ait, *corpus & sanguinem Christi in cæna esse, quia Christus dixerit, hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* Sed non animadvertit, de actione, quam Christus Apostolis præcepit, dici potuisse, quòd esset futura corpus & sanguis Christi, ut exempla ex Ezechiele de urbe Hierosolyma, & ex Exodo de Agno paschali allata, luculenter ostendunt, quæ nulla ratione obscurare potuit Smiglecius. Non negatur, Christum dixisse de eo, quod manibus tenebat & Apostolis porrigebat, quòd esset suum corpus & sanguis: sed negatur, id eo modo dictum esse de eo, quod manibus tenebat & Apostolis porrigebat, quem fingit Smiglecius. Modi, quem nos afferimus, exempla afferri possunt: at ejus, quem affert Smiglecius, nullum exemplum dari potest unquam.

Quo sensu dictum sit. Hoc est corpus meum.

3. Ait *Christum dixisse, Est enim corpus meum: & iterum: hic est calix sanguinis mei.* Sed nec vox *enim* habetur in textu de corpore, nec ea verba de cœna, *hic est calix sanguinis mei.* Vide igitur, quomodo confidas impudenti & audaculo Smiglecio.

Smiglecius falsa affirmat.

4. Argumentum nostrorum, quo docent, in cœna domini non esse præsentiam substantiæ corporis & sanguinis Christi, quia scilicet commemoratio corporis & sanguinis in cœna fiat, commemoratio autem non sit præsentium, sed præteritarum rerum, obscurare quidem conatus est Smiglecius, sed efficere non potuit, ut splendor eius sartus tectus non maneret. Nemo enim non videt, commemorationem vel annunciationem non esse nisi rei jam factæ & præteritæ. Imò ipse Smiglecius id confirmavit, dum confitetur, cænam domini esse commemorationem mortis Christi, quæ certè non præsens, sed absens est & præterita. *Esse verò Christum absentem in cœna sensibus nostris, revera verò præsentem*, petitio est crassa principii; neque per exempla columbæ, & linguarum ignitarum, & rubi ardentis comprobari potest. Præterquam enim, quòd columbam apparuisse non legitur, sed tantùm descensus, sicut co-

Cur Christi corpus non adsit in cæna.

lumba, scilicet descendere solet, fit mentio, si ex istis vel præsentia Spiritus S. vel Dei agnita fuit, quid mirum est, cùm ista omnia conspecta fuerint ab hominibus, & literis sacris sint consignata? At in specie panis & vini corpus & sanguinem Christi agnitum unquam fuisse, nemo unquam testatus est, nisi fortasse Smiglecius patrem suum Lojolam testem adducat. De hoc enim scribit Ribadeneira Iesuita, quòd corpus & sanguinem in missa viderit.

5. *Christi locutionem in cœna non esse figuratam, adversus Calvinistas probat eo, quòd Christus eam non explicuerit, qui tamen alias locutiones figuratas explicuit.* Sed nec omnes suas figuratas locutiones explicuit Christus: nec necesse est omnes locutiones figuratas explicatas esse, præsertim eas, quas facile erat intelligere, & in quibus salus non est posita. Qualis est hæc de cœna domini. Hæc enim ex loquendi modo, quo circa usum agni paschalis, ante ipsam cœnæ institutionem utebantur Israëlitæ, Hoc est Phase Domini, facilè intelligi poterat: &, etiamsi ad religionem Christi omnino & necessariò pertineat cœna domini: tamen non talis est actio, in qua hominum salus versetur, & quæ vitam æternam hominibus conferat, ut nimis licentiosè affirmat Smiglecius. Talis enim sola est, fides in Christum. Hæc verò actio solennis est, pro morte Christi, gratiarum actio, quâ tandem carére, salva salute sua, aliquis posset, si scilicet nulla ratione ad celebrationem illius occasio detur, quod de iis, qui sub Evangelicis principib⁹ degunt, pontificiis, ubi libertas cæna Domini more põtificio celebrandi non datur, concessurũ arbitror Smigleciũ: Ego verò alios etiã cas⁹ dari crediderim, per quos non liceat ei, qui in Christũ credit, cœnã domini celebrare, cui tamen de salute propterea minimè dubitandum esset. De quo plura dicere non est opus. Sed quomodo denique Christus non explicuit istam locutionem, *Hoc est corpus meũ*, dum addidit statim: *Hoc facite in mei commemorationem?* & dum Apostolus ait, nos comedendo panem & bibendo vinum, mortem illam Domini annunciare?

Quare non necesse sit, Christi verba de cœna, esse explicata.

Christi de cœna verba esse explicata.

6. *Nulla ait, indicia proferri posse impropriæ locutionis in cœna Domini.* Sed errat. Nam si doceatur, articulos, quos vocant fidei, & ex sacris literis desumtas rationes non ferre, ut propria sit illa locutio, parum né constat, indicia afferri impropriæ locutionis? Quomodo verò articulus fidei constabit, quòd Christus in cœlum ascenderit, & ibi mansurus sit usque ad instaurationem omnium? quòd semel oblatus sit ad tollendum peccata multorum, secundò autem, nempe in adventu suo, revelabitur sine peccato, expectantibus eum ad salutẽ, quę disertè testantur sacræ literæ, si Christus in terris

Cur verba Christi de cœna sint figurata. Act: 3. 21. Heb: 9, 28.

terris quotidiè offertur per sacerdotes? Quomodo etiam verum esse potest, Christum esse Spiritum, si corpus, quod fractũ est olim, & sanguinem, qui fusus fuit, nunc etiam habet?

7. *Longè præstantius signum futurum fuisse*, ait *Agnum illum paschalem, & multò perfectiùs mortem Christi repræsentasse, quàm panem: similiter & Mannam præstantius signum & sacramentum fuisse quàm Eucharistiam, si Christus tantùm signum corporis sui reliquit nobis in cœna.* Sed nos (ut ipsemet agnoscit Smiglecius) non ita loquimur de cœna domini, quod sit signum corporis. Cur igitur exagitamur cum Calvino? Agnum paschalem præstantius signum futurum fuisse, quàm cœnam domini, si in ea Christus reipsa non adsit, quid vitii aut erroris habet? Num certum est, debere signis præstare populum Christi populo Israëlitico? & non potiùs fieri potuit, ut superaret rebus externis populus Israëliticus carnalis, populum Christi spiritualem? Non ceremoniis, sed divinis potissimùm promissis præstat populus Christi populo illo veteri. Perfectiùs autem mortem Christi repræsentare agnum paschalem, quàm panem, insulsè dicitur. Quomodo enim agnus paschalis, qui frangi ex præscripto Dei non debuit, Christi corporis fractionem repræsentasset? Mannam verò præstantius signum & sacramentum futurum fuisse Eucharistiâ, iterum superstitiosè nimis dicitur. Nam nec manna signum ullum vel sacramentum fuit, ut nec cœna est Domini: nec quærẽdum est, an hoc vel illud sit præstantius, sed utrum Christus præceperit. Quod enim Christus præcepit, etiamsi nescio quot modis vilius esset eo, quod olim extiterat, faciendum est omnino. Denique ineptissimè Manna cum cœna Domini confertur. Manna enim beneficium Dei erat terrenum: At cœnam Domini beneficium esse, magnus error est. Est enim beneficii cõmemoratio. Mannæ autẽ respondet hodie non cœna domini, sed vel ipsa mors Christi, vel Spiritus illius. Hæc enim ita pascunt animas nostras, ut olim corpora Israelitarum pascebat Manna. Vnde Theologiæ pontificiæ sublimem, si Deo placet, scientiam iterum, qui valet, perspicere potest. Externis rebus investigandis tota dedita est, & ceremoniis omnem religionem constare autumat: interim ipsa religio vera fides & pietas apud eos exulant,

Qua in re supe- ret populus Christi populum Israëliticum.

Agnus paschalis cur non ita ad cœnam Domini pertinuisset, ut panis

Quid Mannæ hodie respondeat.

8. *Calici vel potiùs calicem benedicere, explicat Smiglecius, calici benedictionem & consecrationem impertiri, nullo alio argumento, quàm quòd omnes sancti patres ita sint interpretati.* Sed omnes sancti patres fuerunt homines: omnis autem homo errare potest. Incertum etiam est, an omnes ita sint interpretati hæc verba, cùm omnium scri-

Benedictio calicis omnibus competit.

pta vel non extent, vel certè omnia potuerit non cognoscere Smiglecius. Cur verò omisit Smiglecius, quòd non tantùm ministri sed etiam auditores calicem benedicant, quod unà cum Apostolo disertè dixerat Volkelius? Cui nunc addo, quod idem calix, calix benedictionis appellatur. Calix autem benedictionis non est, cui ego benedictionem infero, sed per quem ego benedico alii, ut calix salutis in psalmo non est calix, cui ego salutem impertio, sed per quem ego pro salute gratias ago. Verba autem Pauli solos auditores comprehendunt, cùm non constet, ullum Apostolum aut eius vicarium tunc Corinthi fuisse: nemo etiam præter Apostolorum successores, ex mente Smiglecii, calicem consecrare possit. Concisa est autem oratio, *Calix benedictionis, quem benedicimus, nonné est communio sanguinis Christi?* pro eo, ac si diceremus, Calix gratiarum actionis, quem dum sumimus, gratias agimus (nẽpe Deo & Christo) nonné &c. Quomodo etiam dicitur, Christũ acceptis quinque panibus benedixisse & fregisse. Benedixisse scilicet Deo & fregisse populo. Nec juvat Smigl: quod Lucas ait, Christum panes benedixisse. Nam eadem ratione verba illa explicari possunt, quòd Christus benedixerit, cùm panes illos distributurus esset, nempe patri. Quod enim habet Lucas, *Benedixit panes*, hoc simpliciter legitur apud Matthæum & Marcum, quòd benedixerit, præmissis etiam his verbis, *cœlum suspiciens*. Ioannes verò loco Benedictionis habet, quòd gratias egerit, ut scilicet, quemadmodum gratiarum actio ad patrem spectat, sic etiam benedictio. Hanc autem Christus in talibus miraculis adhibuit, ut indicaret, se in istis patrandis potestatem, licet in seipso manentem, a patre tamen datam habuisse.

Quid sit benedictio calicis.

Psal. 116, 13.

6. *Non omnibus fidelibus communem esse benedictionem probat Smiglecius eo, quod Paulus ait: Sic nos existimet homo, ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei.* Non perpendit autem, mysteria Dei non esse nugas illas ceremoniosas, quas Ecclesia Romana confinxit circa cœnam Domini, sed arcana Evangelicæ doctrinæ, quorum cognitio, quã curta sit apud plerosque illorum, qui hodie sacramenta distribuunt & Christi corpus conficiunt, referre etiam pudet. Adde quòd verba ista Pauli ad solos Apostolos & eorum socios referenda esse, ipsa res loquatur. Hi enim soli antea inaudita revelabant, quæ natura mysterii est: Ministri verò alii Evangelii nec olim, quod antea inauditum esset attulerunt, nec hodie afferunt, nec afferre ulla ratione possunt: & si afferant, hoc ipso se suamque doctrinam suspectam jure apud omnes faciunt.

Quid sit dispensatorem esse mysteriorum Dei & quibus competat

10. *Vsum cœnæ domini communem esse, ait, toti Ecclesiæ, sed non ministerium:*

nisterium: Commemorationem etiam mortis Domini aliter ad Apostolos hoc est, ad Ministros, aliter ad reliquos fideles spectare. Sed utrumque hoc nulla vel similitudine argumenti probat, nec probare unquam poterit. Contrarium autem ex eo, quod ex Epistola ad Corinthios paulò ante allatum fuit, constare potest. Paulus enim eis, apud quos nullus vel Apostolus vel Apostoli vicarius, nullus denique doctor ordinarius erat, præcipit, ut cœnam Domini celebrent. Vnde apparet, posse solos fideles absque ullo ministro verbi divini, si ita accidat eos sine illo esse, Cœnam Domini celebrare, & nullum ejus administratorem peculiarem requiri.

Cœnæ Domini celebratio ad omnes fideles pariter pertinet.

Notæ in Caput VI.

1. *Ministrorum, per manuum impositionem, ordinationem probat Smiglecius iterum antiquitate omnium seculorum, quæ scilicet eam observaverit.* Sed quid valet omnis omnium seculorum antiquitas, si divina non ostendatur autoritas, quæ ad id faciendum cogat? Ista enim autoritas tantùm docet, quid fieri possit: non verò quid fieri oporteat necessariò, de quo nunc sermo est.

Autoritas hominum non infert necessitatem aliquid faciendi.

2. *Agnoscit Smiglecius cessaße facultatem miracula faciendi, quæ per manuum impositionem olim dabatur*, & tamen manuum impositionem hodie non necessariam esse non vult agnoscere. Cùm ipsa ratio dictet, sublata re, quam impositio manuum olim conferebat, nullam, aut saltem non necessariam esse, ipsam manuum impositionem.

Manuum impositio hodie non necessaria.

3. *Spiritum sanctum necessarium eße ait Ministris, tum ad Eucharistiam conficiendam, tum ad peccata remittenda.* Sed falsa eum de Eucharistia constituenda dicere, hactenus docuimus: peccatorum autem remissionem, sine Spiritus sancti singulari dono, quale hîc Smiglecius intelligit, annunciari & ita conferri posse vel hinc constat, quòd ipsa etiam congregatio fidelium peccata ligare & solvere possit. Spiritu porrò sancto Ministris opus est ad intelligenda & aliis proponenda verbi Dei mysteria, & ad rectè gubernandum, secundùm Christi præcepta, populum illius: Hoc verò hodie illi, qui Sacramenta conficiunt, & peccata remittendi potestatem sibi arrogant, curant, scilicet.

Matth. 18. 18.

Ad quid Ministris Spiritu S. opus.

Notæ in Caput VII.

1. *Ad exempla eorum, qui à nemine missi alios docuerunt, respondet Smiglecius, eos & à Deo immediatè vocatos fuiße (manus enim Domini erat cum ipsis) & ordinariis Ecclesiæ pastoribus socios & adjutores se præbuisse, ita ut utramque missionem tam immediatam quàm mediatam haberent.* Sed neutram missionem istorum legitimè probat. Nec enim ita ex eo, quòd manus Domini cum aliquo est, missum eum esse sequitur, sicut ex eo, quòd quis missus est à Deo, sequitur, manum Domini etiam cum illo fuisse: nec etiam verum est, eos omnes, quorum exempla adducuntur, ordinariis Ecclesiæ pastoribus socios & adjutores se præbuisse. Manserunt enim ordinarii Ecclesiæ pastores, nempe Apostoli Hierosolymis, multitudo autem credentium expulsa Hierosolymis, verbum Dei annunciavit. Equidem credo, Smiglecium non sine causa, mediatam missionem id appellare, si quis sese ordinariis Ecclesiæ pastoribus socium & adjutorem præbeat: Sed (ut hoc nunc non tangam) si verum est, quod dicit, jam missionem suam perdidit. Potest enim is etiam præbere se socium & adjutorem Ecclesiæ pastoribus, qui non sit missus. Et hodie omnes Ministri nostri se tales præbere profitentur, & hactenus id firmiter tuentur, nec tamen missio illis a Smiglecio conceditur. Imò si absq; missione non potest esse ullus Minister, quomodo sufficere potest, si se ordinariis Ecclesiæ pastoribus socium & adjutorem præbeat? Sed deniq; distinctionem missionis in immediatam & mediatam falsam prorsus esse censendum est. Nam nec scriptura sacra illius meminit, nec ratio eam sana admittit. Duplici autem modo constitutos olim fuisse Ecclesiæ Christi Ministros dici potest. Alter erat per missionem: alter per electionem vel ordinationem secundùm præceptum Apostolicum. Ad priorē pertinent Apostoli: ad posteriorem omnes alii pastores vel episcopi & doctores. Missio soli Deo & Christo competebat: electio verò vel ordinatio secundùm præceptum Apostolicum, reliquis omnibus, quicunque aliquem ad munus docendi unquam elegerant, ne Apostolis quidem ipsis exceptis.

Missio mediata nulla est.

2. Calumniatur Smiglecius Volkelium, quasi simpliciter dicat, parum referre, quis quavé conditione sit, qui prædicat; & proinde etiam, falsum prophetam & hæreticum prædicare posse, pessimè concludit. Nam Volkelius tantùm de missione eaque tali, qualem

fingunt

fingunt pontificii,loquitur. aliàs enim perpetuò urget,eum prædicare debere, vel saltem posse, qui & ad docendum alios aptus sit, & vitam cum pietate agat.

3. *Ex charitate absque missione neminem prædicare debere, ait Smiglecius.* Sed nullo id argumento probat. *Inordinatam tantùm charitatem eam esse,ait,quæ missione careat.* Sed satis ordinata est, si salutem proximi & gloriam Dei solam propositam habeat, & ii eam approbent,quorum causâ suscipitur.

4. *Neminem sine permissione Episcoporum & Pastorum docere posse porrò prolixè causatur.* Sed frustrà,duplici de causa. Nec enim necesse est,eum qui prædicandi munus obire vult,ab aliis id faciendi potestatem accipere; & si tamen necesse est,tunc illud valere censendum est,quando pro superioribus agnoscit vel agnoscere tenetur istos Episcopos & pastores. Cùm verò pro superioribus eos nec agnoscit, nec agnoscere tenetur, quid opus est illorum indulgentiam expectare? Quod in Ministris nostris accidit.Hi enim Ecclesiam peculiarem ab ea habent, cui præsunt isti Smiglecii Episcopi & pastores,in quam ipsi nullum jus divinum habent. Cur non sit opus permissione aliorum, ad id, ut quis doceat.

5. *Ministros ex missione & non ex eo, an verbo Dei consentanea doceant,necnè,agnoscendos esse*, iterum, suo more,ad nauseam inculcat Smiglecius. Sed quàm sit fallax & falsus ex missione aliquem cognoscendi modus, quàm verus autem, an verbo Dei consentanea doceat,& ipsa res loquitur,& antè etiam demonstratum est.Potest enim aliquis,licet ab Apostolo,ut sentit Smiglecius,missus sit,mutari, & ita falsa docere & repudiari. alioquin præcepta Apostolorum, quæ Episcopis Ecclesiæ præscribunt, non essent necessaria: at qui verbo Dei consentanea docet, nunquam rejici jure potest. Et si,quod antea diximus,observetur,nempe ut ad principia verbi Dei, quæ non possunt non esse clarissima, omnia alia revocentur, fieri non potest, ut non animadvertant omnes, quinám verè verbum Dei prædicent, vel non,nisi sint mancipia eorum qui docent, ii qui docentur. Vnde ministri agnoscendi.

6. *Vana est iterum gloriatio Smiglecii, tum de Petro, tum de Petri successoribus.* Nam nec ea soli Petro promissa sunt,quæ promissa illi esse creditur: nec cum Petro quicquam commune,præter ipsum locum (si modo & hoc verum est) Romanus habet Pontifex. Sed actum agere nolo: Smiglecius hunc sibi idem repetendi morem habeat.

7. *Doctrinam nostram Apostolicam esse, ob hoc solum negat Smiglecius,quod,ut ille credit,defecerit.* Cur verò non docuit,Apostolicam

Duratio doctrinæ non est necessaria.

doctrinam semper durare apud homines absque corruptione debuisse? Cùm contrarium legamus in omnibus ferè N.T. scriptis. Et si hoc verum est, quomodo probare poterit Smiglecius apud solos Catholicos eam mansisse incorruptam, cùm ex diametro in plærisque pugnet doctrina Apostolica cum Pontificia, & hæc vicissim cum illa, quod ipsum symmistæ quidam Smiglecii non diffitentur, dum ajunt, ea, quæ nunc docentur in Ecclesia Romana, ab initio, tempore Christi & Apostolorum docta non fuisse.

Doctrina Apostolica non duravit in Ecclesia Romana.

Quatenus regere ministris liceat.

8. *Indignatur Smiglecius, quòd nullum Ministrorum in Ecclesia magistratum agnoscamus.* Sed sine causa. Nam cui dominari hæreditati non licet, quomodo ei magistratus, qualem sibi cum suis arrogat Smiglecius, permittatur? Regere quidem, addo etiam punire licet immorigeros, sed nec aliter, quàm Christus præcipit aut permisit; nec solis id Ministris absque Ecclesia, ut loci Matth: 18. & 1. Cor: 5. docent. Quæ Paulus fecisse legitur 1. Cor: 5. 5. cum incestuoso, & aliis hæreticis 1. Tim: 1. 20., ea singularia fuisse, & nec ad Ministros nec ad Ecclesiam pertinere, jam ante docuimus. Differunt etiam pastores & doctores, quod objicit Smiglecius: sed non ita, ut illis punire pro libitu suo & solis fideles liceat. potest enim aliquis Ecclesiam regere ex Christi præceptis unà cum aliis ejus membris, & ipsis doctoribus.

9. *Posse aliquem magistratum in Ecclesia gerere, & tamen non dominari*, concedimus: sed extra limites a Christo præscriptos aut permissos in magistratu non procedendum esse, nec arrogandum uni, quod omnibus competit, pariter contendimus.

10. *Legatorum personam sustinere Ministros*, sobrio sensu concedi potest, quanquam non ita sublimi, quo Apostoli eam sustinebant: At hinc non sequitur, licere illis solis pro libitu suo quicquam in Ecclesia regenda facere, quod cupit Smiglecius. Ita enim legati sunt Ministri, ut obsecrare potiùs quàm imperare aut punire debeant. Officio legatorum soli fungi possunt & debent Ministri: At punire sine aliis nullo modo eis permissum est.

Quomodo potestas spiritualis ministris concessa sit.

11. *Potestatem Ministrorum spiritualem esse, & porrò non nisi à Deo & iis, quos ipse huic rei præfecit, conferri posse, iterum affirmat Smiglecius.* Sed jam collata est semel a Deo ista tota potestas, dum Ministris verbi Dei annũciatio remissionis peccatorum suo modo permissa est, quo etiam pertinent claves regni cælorum, ligatio item & solutio; (nam istud corpus Christi conficiendi artificium, Ecclesiæ pontificiorum corruptæ Ministris relinquendum est) nec opus est eam a quoquam ampliùs conferri; & qui eam aliis conferendi

pote-

potestatem sibi arrogant, hoc ipso produnt, se, vel quid dicant, non intelligere, vel spiritu certè non Christi agi.

12. *Plebem antiquitus elegiße Pastores unà cum Episcopis negare non potest Smiglecius*. Iam igitur videt, quàm vera & firma sint illa, quæ supra dixit non uno in loco, & quæ alii ejus symmistæ dicere solent, penes solos Episcopos esse ordinationem & missionem Ministrorum. *At plebs, ait, Ministros Episcopis consecrandos præsentabat, quod illi per impositionem manuum faciebant*. Quid si verò nullus alius fuit Episcopus præter unum, vel Timotheum Ephesi, vel Titum in Creta (ut credibile est solos ab initio fuisse, & de Tito disertè legitur, eum, nempe solum, ideo relictum fuisse in Creta, ut oppidatim presbyteros constitueret, quod de ordinatione Ministrorum intelligit Smiglecius) quomodo plebs Episcopis Ministros electos & suffragio suo confirmatos præsentare potuit? Parumné liquet, vel impositionem manuum non semper fuisse adhibitam, vel, si adhibita fuit, alios etiam præter Episcopos illam administrasse, nempe viros in Ecclesia pietate & gravitate conspicuos, quos Paulus per presbyteriũ proculdubio intellexit. 1. Tim: 4.14.

Non semper ab Episcopis manus ministris impositæ.

13. *Furias Volkelii appellat*, quòd paulò liberius, summo tamen jure, Ministros Pontificios graviter jam pridem in præcipuis ad religionem pertinentibus errasse, & a doctrina Christi defecisse, ejusque rei ita eos convictos toties ait, ut nullum jam iis, quo sese defendant, præsidium supersit, præter nugas inanissimas, easque ita prostratas, ut mirum sit, ipsos subinde eas proferre audere, & tantùm abesse, ut illis contradicendo errent, ut, ad eorum nugas respectu habito, vix errare nostri Ministri videantur. Et occasione hujus rei, prolixè primùm gloriatur, *Arianos nunquam Catholicos convicisse, nos verò, ait, ob graves in Deum blasphemias, nec oculos hominum ferre poße, & terram vix sustinere, quin dehiscat: nos nihil de divinitate Christi, nihil de Spiritu sancto, nihil de immortalitate animæ, nihil de baptismi necessitate, nihil de Eucharistia & aliis Sacramentis, nihil de peccato originali, ac ne dæmones quidem eße credere pronunciat. Monstra nos hominum appellare non erubescit, qui ea pro erroribus habeamus, quæ universus orbis omnibus à Christo seculis pro articulis præcipuis fidei habuit, & veneratus est. Nos, ait, per contumeliam sanctorum cultum debitum, Idololatriam, sanctos & eorum imagines idola appellare, nobis Christum in Eucharistia adoratum idolum eße, Romanum Pontificem Antichristum. Nos Catholicam Romanam Ecclesiam suo loco nec moviße nec moturos: Arianos autem ab Ecclesia eße excommunicatos in Concilio Niceno. Nos erroris convinci ab omnium temporum*

patribus,

patribus, quibuscum ne conferri quidem digni ſimus, aut ſi conferamur, pueros ac locuſtas apparituros. Gloriatur etiam, *quomodo poſt Novogrodocenſem in Lithvania diſputationem, plus quàm duodecim viri nobiles à nobis defecerint, & ad Eccleſiæ Catholicæ caſtra tranſierint: poſt Lublinenſem verò, auditores nos cane pejus & angue fuerint execrati. Tandem Catholicam veritatem ita victuram nos*, ait, *ut aut ad ſalutem convertamur, aut unà cum Ario pereamus.* Ad quæ breviter ſic habeat Smiglecius. Itané ſocietatis Ieſu titulo gloriantem decet tam graviter commoveri, ut eum, cujus, ſi quæ ſint falsò vel immodeſtè dicta, exponere aliorum judicio debebat, non tantùm calumnietur, ſed etiam ſuperciliosè & petulanter convicietur? At charitas malum pro malo (ſi tamen hîc aliquod eſt) non reddit. Sed convitia ſinamus, & affectum homini donemus. Calumnias & alia perſtringamus. Arianos non moror: Quanquam ab his etiam argumentorum robore victos fuiſſe Homouſianos, qui nunc ſunt Pontificii, vel hoc indicio eſt, quòd veſtri ſcriptis prodiderunt, Arium non ex ſcripturis ſed autoritate Eccleſiæ convictum in Nicæno Concilio fuiſſe. Quid igitur excommunicationem Arii a Concilio Nicæno gloriaris, cujus te, ſi ſpiritu Chriſti regereris, pudere debebat? *Hominum oculos nos ferre non poſſe*, aut ſolius Smiglecii & eorum, qui idem cum illo ſpirant, judicium eſt: aut ſi aliorum etiam Catholicorum omnium, fortuna nobis cum omnibus Dei cultoribus communis. *Beati eſtis*, ait, Chriſtus, *cùm maledixerint vos & perſecuti fuerint, & nomen veſtrum tanquam malum ejecerint propter me. Terram verò vix ſuſtinere, quin dehiſcat*, oraculum & vaticinium eſt Ieſuiticum, ab animo impotenti profectum: & procul omni dubio falſiſſimum. Nos enim ii ſumus, Dei gratia, per quos veram ſui cognitionem Deus, alto conſilio, univerſo orbi Chriſtiano, invitis & fruſtra reclamantibus Ieſuitis, impertit, & in dies magis magisque impertiturus eſt. Quomodo igitur terra nos non ſuſtineat? Non nos ſolos intelligit Volkeliᵉ, cùm ait, vos toties convictos eſſe defectionis a doctrina Chriſti, ſed alios omnes, qui & antiquitus vobis reſtiterunt, & deinde vel a vobis oppreſſi vel a Deo e vivis exemti fuere, & qui hoc elapſo ſeculo integro, bello vobis ſpirituali indicto, tot victorias retulerunt, ut, quod minimè ſperandum erat, dimidium orbis Chriſtiani in Europa a vobis defecerit, nulla ſanè alia de cauſa, quàm quod horrendam iſtam veſtram defectionem a doctrina Chriſti agnoverit. Quanquam & de nobis, Dei beneficio, dicere jure poſſimus, ita vos defectionis illius in

[Margin: Quomodo victi Arriani ab Homouſianis.]

[Margin: Quomodo victi hactenus Pontificii.]

us in quibusdam convictos, ut præter inanes nugas, Ecclesiæ scilicet autoritatem, cujus in religione investiganda nulla est habenda ratio, & minas, quod amplius opponatis, non inveniatis.

De Filio Dei credimus cum Apostolis, eum esse Dominum nostrum & Deum nostrum, & Deum super omnes benedictum in secula. De Spiritu sancto confitemur, eum esse Dei virtutem, naturaliter in illo existentem, & omnes, qui hodie Christi sunt, sanctificantem: Spiritum hominis ad Deum redire, qui eum dedit, credimus: Cœnam Domini pro perpetuo Christi præcepto habemus: eum qui Dæmones negaret, Deum eadem operâ etiam negare, statuimus. Quomodo igitur calumniarum non pudet Smiglecium, *quòd nihil de Filio Dei, nihil de Spiritu sancto, nihil de immortalitate animæ, nihil de Eucharistia, ac ne Dæmones quidem esse credamus?* Nihil nos de baptismi necessitate, aliis Sacramentis, & peccato originali credere confitemur, quia nulla sit baptismi necessitas, nulla Sacramenta, nullum peccatum originale. Ita vera falsis miscendo nos denigrare voluit Iesuita. *Vniversum orbem Christianũ ab omnibus à Christo seculis ea pro articulis præcipuis fidei veneratũ esse, quæ nos pro erroribus habemus*, vana est gloriatio. Doceri enim nequit, Apostolos, qui fundatores sunt Christiani orbis, ea scriptis suis comprehendisse, & eorum tempore istorum vel mentionem factam fuisse, nisi forte a spiritu maligno, qui etiam tempore Apostolorum nefanda sua moliebatur impietatis mysteria. Post Apostolorum tempora tam diu exosculatam fuisse, potissimam partem orbis Christiani, istos errores superstitiosos & Idolatricos, quid mirum est, cùm id ipse spiritus Apostolicus futurum prævi derit & prædixerit?

Calumnia Smiglecii.

Antiquitas quæ curanda.

Sanctis nullus (religiosus scilicet) debetur cultus: Quicquid colitur extra Deum & Christum, licet nescio quomodo ornetur & excusetur, id idolum esse necesse est: Qui verò, cùm vix sit unus ex Episcopis, si verè Christi Evangelium sectaretur, omnium se aliorum, & principum etiam mundanorum absolutum facit Dominum; qui extra Christi leges, alias figendi & refigendi in hominum conscientias licentiam sibi sumit; qui sese instar Dei in Ecclesia Christi ostentat, qui nemini subesse, nemini parêre, omnis peccati (per falsa dogmata ad id comparata) autor est, quomodo Antichristus non nominetur, cùm eos, qui multò minùs errabant & peccabant, Antichristos D. Ioannes appellet? De Ecclesia Romana loco movenda nõ cogitamus, eo modo, quo ipsa Arianos olim loco movit: sed ut, qui in ea sunt, varii errores mundo patefiant, & ita

Quid Idolum.

Quis Antichrist⁹.

1. Ioh. 4. 1.

Quomodo loco movenda ecclesia Romana.

De patribus judicium. multi ex illa servẽtur, unicè curamꝰ. Patres Ecclesiæ novimꝰ, & multorum eruditionem, acumen, addo etiam, pietatem miramur & colimus: Apostolos tamen eos fuisse credere nec possumus, nec ipsi etiam postulârunt. An conferri cum illis digni simus, & an collati pueri ac locustæ appareamus, rectiùs alii vel secutura judicabit ætas. Ego verò non video, qua re, quæ hîc valeat, patres isti superarint eos, qui in aliis hujus seculi, & nostris etiam Ecclesiis claruerunt & clarent. Imò in plærisque plærosque patres superari ab hujus & elapsi seculi doctoribus, affirmare nihil dubito, & evidentissimè probari posse, persuasissimum habeo. Nullam enim Deus inter omnes Ecclesiæ suæ Doctores, exceptis Apostolis, differentiam esse singulari consilio voluit, idque in universum de omnibus doctoribus, nec ipsis pontificiis Exclusis, verum esse, ipsa res loquitur. Gloriatio ista de trãsitione ad Põtificios plus quàm Gloriatio Smiglecianа. duodecim nobilium virorum, post disputationem Novogrodecensem in Lithvania, quàm vana sit, suo se indicio prodit. Iam pridem enim istud publicè proclamassent Iesuitæ, si factum fuisset; nec nos id latere posset, qui ne de uno quidem tale quid unquam audivimus. Auditores nos Lublini execratos fuisse, si Pontificii fuerunt, quid mirum est? Hi enim, etiamsi aliter sentirent tamen, si vobis propitiis uti velint, execrari nos coguntur. Credo etiam & scio, nostros auditores vestros errores execratos fuisse, nec tamen hoc pro argumẽto erroris admittet Smigleciꝰ. Vinci a quovis cupimus, ut salutem consequamur: sed hoc ab Ecclesia Romana sperari non potest, ipsa enim ita errat, ut nisi resipiscat, salutem consecutura non sit. Ne pereamus, nihil, si Christo & ejus verbo adhæserimus, metuimus: Pro Ecclesia Romana, ut resipiscat, & ita non pereat, eundem Christum perpetuó oramus.

Notæ in Caput VIII.

Sex rationes, quas hactenus sparsim tractavit, repetit Smiglecius, cur ministri teneantur missionis rationem reddere. Sed nulla illarum firma est. 1. Nam id sacræ literæ (quod maximum est) non requirunt. 2. Sanctitas officii non missionem, sed dignitatem & aptitudinem ejus, qui ad illud aspirat, postulat. 3. Ius probandi prædicatores nullum est datum aliis, præter illud, ut probent Spiritus illorum an ex Deo sint, hoc est, an cum doctrina Apostolorum, doctrina illorum conveniat. Autoritas autem Tertulliani, quę hîc pro Smiglecio

Smiglecio militat, censurâ eget. Nam nullo divino nititur testimonio 4.Periculum etiam errorum evitabitur,si,quod jam dictum est,& olim ab Apostolis præscriptum,observetur.Nam & illorum, qui legitimè missi fuerunt, doctrina explorari potuit & debuit. 5. Obedientia ,qualis debetur pastoribus,semper sarta manebit,ad aliam verò nunquam cogi possunt a ministris homines.6.Licentia nulla erit, si Canones Apostolorum, qui mulieribus non permittunt docere, observentur. Dæmones autem hic obtrudi iterum, dolendum sanè est. Sed quid facias istis audaculis? Nonné, ut verbo me expediam, ad ista omnia, quæ sacerdotes pontificii faciunt, adhibere etiam sese posset Dæmon, cùm in angelum lucis eum transformari posse sacræ testentur litteræ?

Notæ in Caput IX.

1. Controversiam movet deSyllogismo negativo. Sed hanc aut Logici diriment, aut,si vicerit Smiglecius, parum commodi in hac controversia inde auferet.

2. *Narrat sententiam Lutheri & Calvini de necessitate missionis.* Sed frustra. Nam cùm affirmat Volkelius, missionem non contineri ministerii essentiâ, non ex aliorum Evangelicorum, sed ex sua mente id facit. Quanquam ex Calvino id, quod ait Smiglecius, refutari potest.Nam si nullum præceptum est, teste Calvino, de manuum impositione,quomodo ea necessaria esse potest? Cùm nihil necessarium ostendi possit, quod idem præceptum non sit. Omnia necessaria præcepta sunt.

3. *Argumenta Lutheri & Calvini de missione recenset & commendat Smiglecius.* Sed otiosè & astutè.Nam(quæ prima ratio est) exemplū Christi& Pauli missorum, tantùm,aliquos esse docet,quibus sit opus testimonio missionis: At vel omnibus vel necessariò opus esse, nulla ratione ostendit. Non sequitur etiam (quæ secunda ratio est) omnibus præconibus fidem adhibendam esse, etiamsi non sit missio. Est enim alius modus, quo, an quis vera nec né prædicet, cognosci potest, isq; multò certior. Nempe probatio ejus, an ejus doctrina cum Apostolica conveniat, quod,ut suo seculo omnibus præcipiebant Apostoli: itaomnibus competere necesse est.Falsum etiam est, (& hæc est tertia ratio) neminem sine vocatione officium gerere posse.Nam in describendis proprietatibus ministri nulla hujus missionis fit mentio.Denique (quæ quarta est ratio) ne inordinatè quidpiam fiat, satis est ab Ecclesia, quam docere debet, Argumenta pro missione allata refelluntur.

Ministrum eligi & approbari, adde etiam manus illi imponi a senioribus.

4. Ait *Volkelium secum pugnare, qui dicat Ministros Evangelicos esse legitimè missos modo in scripturis præscripto, & tamen dicat ministros missione non egere.* Sed errat Smiglecius. Nam missionem aliter accipit Smiglecius quàm Volkelius. Hic enim electionem ministri secundùm præceptum Apostolicum, ut scilicet sit ad docendum alios aptus, & vitæ integræ, & deinde eiusdem ab iis, quos docturus est, approbationem & a senioribus etiam, si ita opus sit, manuum impositione confirmationem, legitimam missionem modo in scripturis præscripto appellat. Qui missionis modus adhiberi potest, etiamsi non sit necessarius. Imò talis ministrorum electio & constitutio hodiè omnino pro missione agnoscenda est. Qui mittebantur, iis dignitas divinitus concedebatur absque illorum opera: quibus verò dignitas ista divinitus non contingit isto modo, ii ad normam præscriptam examinandi & constituendi sunt, non futuri alioquin veri ministri.

Quid missio dici possit secundùm scripturas, ministrorum.

5. *De duplici missione non pauca differit, & quanti missio mediata etiam sit facienda, denique cur Deus hominum ministerio in regenda Ecclesia utatur, docere nititur.* Sed extra oleas vagatur perpetuò. Docendum enim erat, missionem quam vocat mediatam esse necessariam ministris, & alicubi præceptam vel etiam aliquam dari. Cuius rei contrarium paulò ante docuimus nota 1. in c: 7. Præterea ministerium esse, & utilitas eius considerari potest absque missione, & omnia ea, quæ de missis ministris dicit Smiglecius, in non missis (eo modo, quem Smiglecius intelligit) apparere possunt & apparent Dei beneficio, ut incrementum Ecclesiarum, in quibus non sunt ministri, modo Pontificio missi (si nostras fortasse despicit) satis supe rque declarant.

Utilitas ministerii esse potest sine missione.

6. *Docet porrò, missionem mediatam debere esse ab hominibus divinitus missis.* Sed quid prodest disserere, qualis debeat esse missio, si non constet, an esse debeat & possit? Missos fuisse quosdam ab Apostolis, adde etiam ab aliis, (ut nunc quod falsum est, concedamus) tantùm docet, quid factum sit, & quid, si hodie tales essent, quales erant Apostolorum tempore, fieri possit, non verò quid necessariò faciendum sit. Ad necessitatem enim facti constituendam non exemplo sed lege opus est. Nec ex eo, quòd positus aliquis est a Spiritu S. ad regendam Ecclesiam Christi, sequitur, ei potestatem alios mittendi datam esse, sed tantùm sequitur, quanta cum diligentia ipsemet munus illud, ad quod non casu sed divino consilio vocatus

Ad missionem necessariam requiritur præceptum.

vocatus eſt, adminiſtrare debeat.

7. Fruſtra etiam eſt docere, quòd, *ut immediata miſſio miraculis, ſic mediata ſucceſſione probanda ſit*, niſi conſtet, miſſionem ipſam eſſe neceſſariam. Adde nullam miſſionem eſſe eam, quæ ſola ſucceſſione gaudet. Poteſt enim homo nihili ſucceſſionem interdum extorquere, ut, proh dolor, nimis id experta ſunt ſecula tum elapſa tum labentia: At aptitudo ad docendum & vitæ integritas, non niſi per Spiritum S. obtineri poteſt.

Miſſio non pendet ex ſucceſſione

8. *Senſum ſcripturæ unà cum ſcriptura ipſa neceſſe, ait, eſſe ut is intelligat, qui alios docere velit.* Sed non ſemper ſenſu Scripturæ opus eſt, ubi ſcilicet ipſa verba ſunt ita ſimpliciter prolata, ut homo mentis non inops ea intelligere poſſit: Vbi verò eruere ſenſum neceſſe eſt, tum non miſſio id efficit, aut illi, qui alios mittunt, ſed ſobrium judicium & Spiritus S. auxilium, quod Deus nemini, qui voluntatem illius facit, & eum ardenter invocat, unquam denegat. Et ſenſus ſcripturæ nunquam eum fugiet, qui nihil adverſum illis, quæ abſque ulla interpretatione intelligi poſſunt, admittet.

Senſus ſcripturæ unde acquirend⁹.

9. *Poteſtatis, quam Chriſtus Eccleſiæ ſuæ reliquit, communicationem etiam, abſque ſucceſſione fieri non poſſe, affirmat.* Sed perridiculè. Quid enim opus eſt ſucceſſione id obtinere, quod perpetuo cautum eſt omnibus ſeculis privilegio. Poteſtas, quam Chriſtus Eccleſiæ conceſſit, ſemper eſt & erit, ubi eſt Eccleſia, & dari eam ab aliquo poſſe dicere, ſtupidum quiddam eſt:

Poteſtas eccleſiæ unde pendeat.

10. Gloriatur, *promiſſionem Eccleſiæ factam de perpetua & nunquam interrumpenda ſucceſſione, de fide indeficiente & ea ſoliditate, ut portæ inferni adverſus eam non ſint prævalituræ.* Sed hæc ſpecioſa eſt fabula. Promiſſio enim de perpetua & nunquam interrumpenda ſucceſſione fidei repugnat naturæ religionis. Vbi promiſſio eſt, ibi neceſſitas eſt: At ubi religio eſt, ibi mera contingentia, ut ſit neceſſe eſt. Alioquin virtuti & vicio, adeoque præmio & pœnis non eſſet locus. Promiſſa eſt igitur Eccleſiæ non duratio fidei, ſed Eccleſiæ in fide duranti victoria de inferno, idque in adventu Chriſti, ad quem verba Chriſti, *Inferni portæ adverſus eam* (nempe Eccleſiam) *non prævalebunt*, referenda ſunt. Tunc enim dicent fideles *ubi eſt tua victoria, inferne:* Tunc infernus & mors (ut D. Ioannes loquitur) conjicientur in ſtagnum illud ardens igne & ſulphure. Promiſſa eſt itidem Eccleſiæ, quamdiu ea durabit, Chriſti præſentia: at non promiſſum eſt, Eccleſiam duraturam. Promiſſus eſt ſpiritus veritatis, qui in æternum maneat, ſed cum Apoſtolis, non *cum Eccleſia*, ut audaculus Smiglecius de ſuo addidit. Et ſi promiſſum eum

Duratio eccleſiæ nulla promiſſa.

Quid promiſſum eccleſiæ.

Ecclesiæ etiam concedamus: tamen non ita id accipiendum est, quasi sit homines alios coacturus, ut veritatem semper sequantur: sed tantùm eos adjuturus, ut Apostolorum scripta intelligant & illis obediant. Interim semper verum manebit, posse homines, qui Christi sunt Ecclesia, Spiritui sancto resistere, eundem contristare, & eo semetipsos privare, imò eundem ignominiâ afficere.

Cur dat^9 ecclesiæ Spiritus sanctus.

10. *Ridiculum esse, ait, Volkelium, qui dicat, Apostolicam doctrinam, quatenus sacris literis consignata est, nunquam defecturam, non verò quatenus ad homines spectat.* Sed videat cordatus lector, an non ridendus sit jure Smiglecius, qui ait, deficiente Ecclesia & fide, doctrinam etiam Apostolicam deficere? Nonné salva esse potest doctrina, etiamsi nemo illam recipiat? Cur igitur salva etiam esse nequeat, etiamsi omnes eam repudient? Defecitné verbum Dei in V. T. cùm homines ad Idololatriã defecerunt? Si defecit, denuò illud existere necesse fuit. At hoc nunquam factum est. Nam quod obscuratum tantùm erat, postea regum & sacerdotum piorum operâ pristino nitori restitutum fuit. Deficit Ecclesia non tunc, cùm non esse videtur, interim tamen revera est: sed quando tolluntur omnes, qui fide erant prædití. Sic etiam doctrina Apostolica deficeret, si prorsus non extaret, quod nunquam revera factum est. Nam inter medios hostes Deus eam custodivit: imò hostes doctrinæ Apostolicæ ejusdem custodes, pro sua providentia verè divina, esse voluit.

Vnde ecclesia censenda.

11. Gloriatur iterum *fidem Apostolicam in Ecclesia Romana non defecisse.* Sed quia nemini promissa est nec promitti potuit fides indeficiens, ergo nec Ecclesiæ Romanæ. Defectio porrò a doctrina Apostolica Romanæ Ecclesiæ non ita a nobis objicitur, quasi unquam ea disertè dixerit, doctrinam Apostolicam non esse divinam: sed quòd in Romana Ecclesia ea recepta fuerunt, quibus stantibus, robur suum doctrina Apostolica exercere nullo modo potest, qualia sunt, verbum istud non scriptum, & infinita Ecclesiæ, a verbo divino non tantùm diversa, sed eidem etiam adversa placita, & sensus scripturæ, quem Patres excogitarunt. Est igitur doctrina Romanæ Ecclesię, Apostolica nomine tenus: at re ipsa in omnibus ejus præcipuis particulis corruptissima.

Quatenus defectio ecclesiæ Romanæ objicitur.

Notæ in Caput X.

1. *Probaturus Smiglecius necessitatem missionis, docet necessitatem Ministro-*

Ministrorum in Ecclesia, & ea quæ Christus constituit, non libera esse sed necessaria, insigni sanè sophismate. Necessitas est Ministrorum. Ergo necessitas missionis. Quid ineptius dici potuit? nisi constet, Ministros sine missione esse non posse, quod nunc non dicendum sed docendum erat. Necessaria sunt, quæ Christus constituit: sed an constituerit, ut Ministri mittantur, quæritur. Necessarium est esse Ministros in Ecclesia: sed non necessarium est, eos esse isto modo, quem vult Smiglecius. Sophismatis hujus crassi pudere deberet certè tantum Iesuitam: sed quia aliter rem suam probare non potuit, necessitati illud tribuendum est. Necessitas ministrorum non infert necessitatem missionis.

2. *Neminem prædicare posse, præter Ministros & missos, iterum probare conatur eo, Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Sed præter ea, quæ suprà de isto loco dicta sunt addo nunc illud, quod in scriptis nostrorum jam extat, verba scilicet illa Pauli alium etiam sensum admittere posse. Nempe, non quòd non liceat, sed quòd impossibile sit, ut quis docere possit, nisi sit missus. quemadmodum etiam impossibile est, posse aliquem eum invocare, in quem non credit, & credere ei, quòd non audiverit. Ita ut ex prædicatione, nempe tam singulari colligatur ab Apostolo missio, non verò prædicatio commendetur ex missione, quod ego quidem puto esse ut verissimum, ita ad arietem illum Pontificium, quem ex his verbis formant, prorsus prosternendum, aptissimum. Sensus loci Rom. 10. eruitur.

3. *Ministros approbatione populi creari non posse, iterum opponit.* Sed nolo iteratione rerum chartas implere, cui rei Smiglecius peregregiè studet.

4. *Sine missione Ministrum esse neminem posse docet eo Smiglecius, ne multi emergant reformatores.* Sed ob aliquod contingenter futurum malum, non est omittendum id, quod fieri jure potest, & interdum cum maximo aliorum commodo. Non quidem facienda mala, ut eveniat bona: Sed an malum sit, licentiam permittere docendi alios, omnibus, qui ad eam rem apti sunt, nondum constat. Iam si multi exurgant, qui verè reformare Ecclesiam possint, quid quæso, esset optatius? Faxit Deus, ut omnes prophetent. Nam quò plures erunt veri ministri, tantò plùs erit incrementi in vera sapientia & pietate: tantò major aliorum obedientia. Docere absq; missione non esse malum.

5. *Scripturam solam controversias non dirimere audacter dicit*, sed nullo argumento probat Smiglecius. Videmus autem contrarium esse verissimum. Nam ea pars orbis Christiani, quæ omnes controversias in religione solis scripturis dirimi posse persuasum habuit, & S. scripturas legere, & sensum illius investigare cepit, hoc consecuta Scripturam solã controversias dirimere.

cuta

cuta eſt, ut ex innumeris & pernicioſiſſimis erroribus liberata, omnia ea teneat, quæ ad ſalutem tum neceſſaria, tum etiam utilia quoquomodo ſunt: Qui verò modum illum ſpernunt, ii hactenus nec quid credant, nec quid faciant, ſatis rectè intelligunt, ſed ex aliis dependentes, & cœci cœcos duces ſequentes in foveam æterni exitii inciderunt, e qua reditus non datur, niſi ad ſolas, ſolas ſcripturas ſacras recurrerint, & ex illis ſolis, quid in religione ſentiendum ſit, diſcere voluerint.

Sectarum varietas nihil juvat Pontificios.

Cur ſectæ tolerandæ.

6. *Sectas poſt prædicationem Lutheri ortas objectat.* Sed nullo fine. Iſtæ enim ſectæ omnes in iis, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, conveniunt: In reliquis quiſque ſuo ſenſu abundat, donec Deus ea etiam illis revelet. Quod iam pridem factum eſſet, ſi ſolæ ſcripturæ ſacræ ad dirimendum controverſias adhiberentur. Præſtat autem in rebus ad ſalutem non pertinentibus diverſum ab aliis ſentire, quàm id credere, quod qu is non intelligit. Omne enim quod ex fide non eſt, peccatum eſt, quod in papatu ante Lutherum factum fuiſſe & hodie fieri videmus & dolemus.

Scriptura iuxta quid interpretanda.

7. *Scripturam interpretandam*, ait, *non cujusvis arbitrio, ſed juxta traditionem Apoſtolicam.* Sed prius nemo Evangelicorum aut noſtrorum aſſerit. Nam potiſſima pars ſacræ ſcripturæ absque interpretatione intelligi poteſt: reliqua ſecundùm ea, quæ abſque interpretatione quivis intelligere poteſt, intelligenda ſunt. Poſterius verò falſò Smigleci[9] aſſerit, niſi doceat, extare Apoſtolicam Apoſtolicæ doctrinæ explicationem. Quod illud ſpecioſum ſed admodum inſidioſum pontificiorum commentum eſt. Nulla enim eſt alia traditio Apoſtolica, ad ſalutem neceſſaria, præter eam, quæ doctrinâ ipſorum continetur.

8. Quod de hæretico diſſerit Tertullianus, ea ad nos nihil pertinent. Nam hæreticos nos qui a Papatu ſeceſſimus, eſſe, ſoli dicunt Pontificii, qui ipſimet ſunt omnium hæreticorum maximi. Quanquam ea, quæ Tertullianus dicit, oracula divina non ſunt, niſi ſacris literis confirmentur, quod quidem ipſum parũ curare video.

9. *Spiritus probare*, ait Smiglecius, *eſſe, communi ſpiritu eccleſiæ eos probare.* Sed hæc ſententiæ dictio eſt nuda, & mera nugatio. Nam ſi quis putet Eccleſiam ipſam errare, quomodo ſpiritu illius ſpiritus aliorum poterit probare? Si dicas Eccleſiam non errare, nova erit quæſtio & difficultas, quæ aliter expediri non poterit, quàm ſi doceatur ex ſacra ſcriptura, eccleſiam errare non poſſe. Iam ſi autoritas Eccleſiæ ex ſcriptura pendet, cur non malim ſcripturâ potiùs probare Spiritus, quam Eccleſiâ?

Notæ

Notæ in Caput X. & XI.

1. Hoc decimo (bis enim decimum caput Smiglecius ascripsit,& deinceps usque ad finem libri in capitum numero ascribendo erratum est, ita ut ante præfationem 21,in ipso verò libello tantùm 20 capita commemorentur)& 11.capite Lutheranos & Calvinistas persequitur Smiglecius, ostensurus, eos nec immediatè a Deo missos esse, nec missionem a Deo mediatam ostendere posse. Sed qua intentione,equidem satis perspicere nequeo. Nam adversusVolkeliũ calamũ strinxerat,qui missionis necessitatẽ prorsus negat. Insultet igitur aliis Smigleci⁹, qui missionẽ necessariam esse statuunt: nobis verò ignoscat, quòd, ne istiusmodi insultationes audiremus,alio modo cum illis in hoc negotio agamus. *Smiglecius extra oleas vagatur.*

2. Non potuit autem intermittere, quin nos per latus pungeret. *Lutheranos enim minùs absurdos esse*, ait, *quàm nos. Illos namque missionem ad magistratum referre, nos verò cujuscunque tandem ex infima plebe approbatione esse contentos, sive is sutor,cerdo,carnifex sit, sive puer atque fœmina.* Sed cavillando & calumniando nihil proficitur,Smigleci. Apud nos nec puerorum nec fœminarum approbatio quicquam valet, in rebus Ecclesiasticis: sutor verò unus ex auditoribus, iisq; judicio præditis esse potest. Vocem autem Carnificis non nisi impotentia animi Smiglecio extorsit. Nonné enim alii semper fuere &sunt viri in quavisEcclesia tales,quos nulla re,quæ coram Deo valeat,vel ipsi superant Iesuitæ vel Episcopi? *Smiglecii cavillus.*

3. Cap: 11. iterat,missionem ex verbo Dei probari. Sed quia id aliquoties antea refutatum est, & locus Rom: 10. explicatus,rectà ad alia transeo.

Notæ in Caput XII.

1. V*eros & legitimos Ministros ritè ordinari & consecrari debere, ostendit Smiglecius exemplo Christi & Apostolorum, qui sanctificati fuere, & Ioannis Baptistæ, qui in utero adhuc existens sanctificatus fuit. Timothei denique & Titi,quibus manus impositæ fuere.* Sed parum est ad majorem argumenti universalem efficiendam, pauca quædam exempla consecratorum commemorare. Si verò particularis fuerit major, nempe quidam veri Ministri ritè ordinati fuerunt, cujus erit valoris? Ineptè porrò ad augendum exem-

plorum numerum adducitur Ioannes Baptista. Alius enim generis esse sanctificationem illam, quæ Ioanni contigit in utero matris existēti, ab ea, quam hodie a Ministris exigit Smig: quis non intelligit? Præterea, si ordinatio & consecratio accipiatur, pro modo isto electionis, quem Apostolus præscribit, multò rectiùs ad eum modum nostri eliguntur Ministri, quàm Pontificii: Imò Pontificii ad istum modum ab Apostolo præscriptum nec eliguntur nec eligi ferè possunt.

2. *Sanctificatione opus esse Ministris Evangelii inde etiam colligit Smiglecius, quòd Levitas Deus etiam sanctificari voluerit, quorum munus multò erat humilius munere Ministrorum Evangelii.* At impar est ratio. Nam de Levitis sanctificandis ritus ab ipso Deo præscripti erant: de Ministris verò Evangelii, quales hic intelligimus, nihil tale legimus. Quid mirum autem, si tunc, cum omnia ferè in ceremoniis consisterent, quæ ad cultum divinum pertinebant, ceremoniæ etiam in consecrando sacerdote adhibitę fuere? Hodie verò, ubi omnia secundùm rationem Deus fieri vult (unde rationalis cultus noster Evangelicus appellatur) mirum est & ridiculum, ceremoniis & ritibus tantum tribuere, ut, nisi eæ adsint, res divinæ debitam non sint habituræ autoritatem. Hoc est corpus rei cum umbra commutare. Prętereà parumné sanctificati sunt omnes Ministri, si ad docendum Christi Evangelium apti, & vitæ sint integræ & inculpatæ, quæ hodie in omnibus Ministris, qui eliguntur, necessariò requiruntur? Poteſtné alterutrum horum contingere homini absque Spiritus sancti opera & auxilio? Qui igitur Spiritu Dei sancto præditus est, quomodo non spernat ceremonias, & eos, qui ceremoniis ordinationis freti, munus alios regendi sibi arrogant, interim nihil verè divinum & Spiritu S. dignum spirantes.

Sanctificatio Levitarum nihil ad Ministros N. F. pertinet.

Sanctificatio Ministrorum N. F. qualis sit.

3. *Indignatur Smiglecius, quòd non exemplis sed legibus agendum esse affirmemus.* Sed frustra. Verissimum enim est, exempla sanctissimorum virorum, adeoque ipsius Christi nunquam nos obligare sola per se, nisi cum exemplis conjunctum sit præceptum. Promat unum Smiglecius, in quo tantùm exemplum extet Christi vel Apostolorum absque præcepto, quod facere teneamur, & nos statim veritati cedemus. Nam quod affert de lotione pedum, illud & exemplum est & præceptum, ut verba testantur Christi: *si ego lavi pedes vestros Dominus & Magister, & vos debetis alii aliorum lavare pedes.* Novimus, præstare, Christi & Apostolorum exempla imitari, quàm nova comminisci: sed, quid si quis nec exempla Christi & Apostolorum imitari cogatur, & nullum alium modum excogi-

Exempla sola neminem obligant. Ioh. 13, 14.

tet? ut certè in hoc negotio ordinationis fit. Si ordinationem ad Ministerium adhibere velimus, quod liberum est, imò etiam decorum, exempla virorum sanctorum imitanda potiùs esse confitemur, quàm novi ritus confingendi: sed quia ad ipsam rem faciendam nulla lege adigimur, quomodo ad modum faciendi eam adigamur?

4. *Morem ordinandi sacerdotem ab uno Episcopo, Episcopi verò à tribus Episcopis, Apostolicos canones esse affirmat, & quia hic mos à nobis non observetur, legitima etiam ordinatione Ministros nostros destitui ait.* Ego verò, dum non probatur ordinationis necessitas, modum etiam hunc ordinandi necessarium esse nego. Facilè est autem aliquid specioso Canonum Apostolicorum titulo venditare apud eos, qui, quæ non intelligunt, ea cæca quadam obedientia credunt: sed non imponet Smiglecius illis, qui Canones Apostolicos nullos esse persuasum habent, præter eos, qui in scriptis illorum comprehenduntur. Canones Apostolici veri ii tantùm sunt, qui ab omnibus Christianis pro talibus habentur: At Canones isti, quos Smiglecius meminit, rejecti sunt a potiori ferè Europæ parte, quæ tamen mori mallet, quàm vel unum Canonis Apostolici apicem rejicere. Quinám sint Canones Apostolici.

5. *Paulum & Barnabam ab Ecclesia Antiochena ordinatum fuisse, Act: 13. nempe ad munus Episcopale, docet Smiglecius tota Doctorum autoritate, & æquius esse, ait, toti antiquitati de sensu hujus ceremoniæ credere, quàm malè sano Volkelii capiti.* Totam antiquitatem ita sensisse, ut sentit Smiglecius, unde constat? At senserit ita: Num plus valere debet hominum autoritas, quàm manifesta ratio? Paulus antea fuit Apostolus, quàm manus ei a quibusdam ex Ecclesia Antiochena imponerentur. Nam a Christo ipso fuit vocatus immediatè. Quomodo igitur non fuit Episcopus? Cùm plus sit mille modis, esse Apostolum, quàm Episcopum. Apostolus enim teste, ut puto, ipso Smiglecio, Episcopos constituere potest. Semper autem is, qui aliquem constituit, major est eo, quem constituit. Unde apparet, vel præstantiores fuisse eos, qui Paulo manus imponebant, quod falsum est. erant enim tantùm prophetæ & Doctores: Paulus verò Apostolus, prophetæ autem post Apostolos in secundo, Doctores in tertio gradu constituti sunt disertè: vel manus Paulo non fuisse impositas ab illis doctoribus eo fine, quem confinxit Smiglecius. Præterea, si non omnis, qui est Apostolus, est Episcopus, quis reliquos Apostolos Episcopos creavit? Si verò reliqui Apostoli eo ipso fuere Episcopi, quòd essent Apostoli,

Paulus non fuit constitutus Episcop⁹ a quo quā.

1. Cor: 12. 28. Eph: 4. 11.

quomodo hoc in Paulo ſolo ceſſavit? Segregatio igitur iſta Pauli, non fuit, quòd Epiſcopus creatus fuerit,ut ait Smiglecius: ſed, ut id, ad quod primitùs electus fuerat, tunc reipſa aggrederetur,hoc eſt; jam gentibus Evangelium apertè annunciaret. Ad quod tantum opus ii,qui tunc aderant,SenioresEccleſiæ,auxilium illi aDeo & optata quæque precibus & impoſitione manuum precabantur. Vnde conſtat, non eo fine factam fuiſſe ſemper manuum impoſitionem, ut dona alicui conferrentur,vel munus aliquod; nec ſemper ſuperiores fuiſſe eos,qui aliis manus imponebant. Nam Paulo nihil donorum collatum fuit vel conferri potuit; nec ullo modo Prophetæ & doctores Apoſtolo ſuperiores eſſe poterant. Vnde porrò colligit Smiglecius, iſtos, qui Act: 13. nominantur, fuiſſe Epiſcopos, qui ſcilicet alium Epiſcopum creârint? cùm nulla iſtius rei ſit mentio aut veriſimilitudo; ſed tantùm dicatur, quòd Prophetæ fuerint & Doctores. Doctorem autem ipſe etiam Smiglecius Epiſcopo inferiorem facit:prophetam verò aliquem eſſe poſſe, qui idem non ſit Epiſcopus, exempla prophetarum N. F.; quales fuerunt Agabus & Philippus Diaconus, docent.

Ad quid Paulus ſegregatus fuerit, Act:13.

6. *Dona Spiritus S. per impoſitionem manuum communicata fuiſſe tempore Apoſtolorum*,nemo negat.Sed nec ſemper eo fine fuiſſe ceremoniam illam adhibitam; exemplum Pauli docet. Quid enim huic gratiæ accedere potuit, qui jam erat omnibus aliis ſuperior, Apoſtolus ſcilicet vocatus ab ipſo Chriſto, & ab eodem in ipſo cœlo doctus; nec dona illa neceſſariò cum illa ceremonia conjuncta fuiſſe, res ipſa loquitur. Alioquin enim in omnibus, quorum anteceſſores manus aliis impoſuerant, duraſſet, quod tamen negat Smiglecius,dum in ſolis ſucceſſoribus Petri dona illa agnoſcit.

Notæ in Caput XIII.

1. *Chriſtum, dum mortalis eſſet, poteſtatem non habuiſſe verè & perfectè peccata remittendi, blaſphemum eſſe* ait *Smiglecius*. Primùm verè & perfectè captioſè junguntur.Poteſt enim aliquis verè quid habere, licet non perfectè. Deinde cur Chriſtus ipſemet, ſe poteſtatem peccata, *in terra* remittendi habere diſertè dixit? Peccata enim remittendi poteſtatem limitare, (quod fit in verbis, in terra remittendi) & perfectam eadem remittendi poteſtatem habere, contraria ſunt. Quomodò porrò is perfectè peccata remittere poteſt,qui æternam mortem adimere & vitam æternam donare non

Cur Chriſtus mortalis, poteſtatem peccata perfectè remittendi non habuerit.

poteſt?

poteſt? Hoc autem quomodo is præſtet, qui ipſemet mortalis eſt?

2. *Metuere nos ait, ne, ſi Chriſto poteſtatem remittendi peccata concedamus, ilico eum verum Deum concedere cogamur.* Sed errat. Nam & ipſe Deus aliter peccata ipſa non remittit, quàm pœnas illorum auferendo & condonando. Nec enim Deus facit, ut peccata non ſint peccata, ſed tantùm ea, ut ſcriptura loquitur, tegit vel non imputat. Deus quomodo peccata remittat.

3. *Prolixè docet ex Matth: c. 9. Chriſtum dixiſſe ſe habere poteſtatem remittendi peccata.* Sed fruſtra. Hoc enim nemo negat, ſed quid ſit, habere poteſtatem remittendi peccata *in terra*, quæritur. Cùm Chriſtus dixit: Remittuntur tibi peccata, peccatorum remiſſionem tantùm obtulit: cùm verò ægrum ſanavit, peccatum abſtulit & remiſit.

4. *Spiritum S. antea etiam datum a Chriſto fuiße, quàm Chriſtus in cœlum aſcenderet, affirmat, quia Chriſtus dixerit, Accipite Spiritum Sanctum.* Sed hoc infirmum eſt. Diſertè enim Ioannes, poſtquam verba Chriſti: *Qui in me credit, flumina aquæ viventis, fluent ex ventre illius*, recitaſſet, addit, *Hæc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus S. quia Ieſus nondum erat glorificatus.* Vbi nemo non videt, de Spiritu S. non illo tantùm, vel potiùs non de illo propriè, qui ſolis Apoſtolis datus fuit aſpectabili modo, ſermonem eſſe, ſed de eo, quem omnes in Chriſtum credentes accepturi erant. Hunc autem dicit Ioannes tunc nondum extitiſſe, quia Ieſus nondum eſſet glorificatus. Frivola autem ſunt quæ objicit Smiglecius, & digna ipſius ingenio. Non enim quæritur, an aliqui ante Chriſti glorificationem Spiritu S. præditi fuerint, ut Ioannes Baptiſta, Zacharias, Elizabeth, & Simeon: ſed an Chriſtus eum illis dederit. Benè autem habet, quòd ita Spiritum S, tunc Chriſtum Apoſtolis dediſſe ait, ut eos mittebat. Nam re ipſa eos tunc illum miſiſſe, quomodo dici poteſt, cùm uſque ad tempus, quo Spiritus S. illis cœlitus dabatur, quid miſſio iſta ſibi vellet, non intelligerent? Nam eâ ipſâ horâ, quâ D. Ieſus in cœlum aſcendit, interrogabant, an tunc eſſet inſtauraturus regnum Iſraëlis: & poſt iſtam interrogationem, quam ſtatim conſecuta eſt Chriſti aſcenſio, iterum eis promittitur Spiritus S. Act. 1. Quod fieri non potuiſſet, nec porrò factum fuiſſet, ſi jam re ipſa, quantumvis inviſibili ratione, datus illis fuiſſet Spiritus S. vi verborum, quæ Ioan: 20. deſcripta ſunt. Hæc enim priùs, quàm illa Act. 1. deſcripta, prolata ſunt.

Ioh: 7. 38, 39. Spiritus S. quando datus & quinam.

Act: 1. 6, & 8.

5. *Poteſtatem peccata remittendi negat eſſe, poteſtatem peccatorum*

 remiſſionem

Cur ſola peccatorum remiſſionis annunciatio hominibus competat.

remiſſionem annunciandi. Sed quia homo peccata remittere reipsâ nequit.non poteſt enim pœnas peccatorum auferre,quod eſt peccata ipſa remittere; & non datur tertius modus remittendi peccata,neceſſe eſt, peccatorum remiſſionem eatenus in hominum poteſtate eſſe, quatenus illi eorum remiſſionem annunciare poſſunt.Hoc autem ab initio Apoſtolis a Chriſto conceſſum fuit,quia illi primi omnium perfectiſſimè ſciebant, cuinàm peccata eſſent remittenda vel non, & ab illis ad alios ſcientia iſta delata eſt.

6. *Abſurdum hoc eſſe putat Smiglecius, quia hac ratione omnes poſſint peccata remittere.* Sed hoc per ea, quæ modò diximus, refutatum eſt.

Quomodo Apoſtolis iſta annunciatio competat.

Tali enim modo id Apoſtolis competebat, quo nemini alii.Quæ verò ſingulari modo alicui cõpetunt, ea ſic de eo prædicari ſolent in ſacris literis,ac ſi ei ſoli competerent. Porrò alio modo id ipſum etiam aliis competere,agnoſcet Smiglecius, ſi conſiderabit, quid de Eccleſia dixerit Chriſtus.Matth:18.quæ Ecleſia,ut non tantùm ex miniſtris ſed etiam ex auditoribus conſtet, neceſſe eſt.

Quomodo aliis.

Vnde porrò conſtat, poſſe unumquemque, qui rerum divinarum ſcientiâ pollet,poſteaquam id ſemel nobis ab Apoſtolis revelatum eſt, ſuo modo, annunciare alicui & eum docere, cuinám remiſſio peccatorum ſperanda ſit vel non. Hoc verò, quia præ aliis rectiſſimè noſſe debent miniſtri,commodiſſimè ab illis etiam hodie fieri poſſe. Sed hæc veritas mordet fortaſſe Smiglecium. Nam ſi ea obtinuerit, actum erit tum de autoritate tum de ſplendido lucro, quod ſibi pontificii ſacrificuli ex iſto peccatorum remiſſionis artificio pepererunt.

7. *Apoſtolos negat prædicatione remiſiſſe peccata, ſed indicaſſe ſolùm media a Chriſto inſtituta ad conſequendam remiſſionem peccatorum.* Sed hoc illud ipſum eſt, quod nos affirmamus, quòd ſcilicet Apoſtoli modum hominibus exponere debuerint, quo remiſſionem peccatorum conſequi poterant,& ita peccata remittebant.Modus autem erat,ut is,qui ante infidelis fuiſſet,reſipiſceret, in Chriſtum crederet, eundem publicè profiteretur: qui verò ſemel fidelis factus, iterum eſſet excluſus a conſortio fidelium, ut pœnitentiam ageret,& vitam emendaret.

8. Ait *inverti Chriſti verba,dum dicit,quodcunque remiſeritis in terra, erit remiſſum in cœlo, ſi ea de prædicatione remiſſionis intelligenda ſunt.* Sed non animadvertit Smiglecius, nullum ordinem remiſſionis peccatorum in verbis Chriſti contineri, quaſi ſcilicet priùs remittenda ſint in terris,poſtea in cœlis. Deus enim tunc, cùm homines elegit in Chriſto ante conſtitutionem mundi, decrevit etiam

Eph.1.4.

quibusnám

quibusnam peccata sint remittenda vel retinenda: & quamprimùm homo ex animo resipiscit, statim illi a Deo peccata remittuntur, etiamsi a nemine id illi annuncietur: sed tãtùm certitudinem remissionis peccatorum indicari, eam scilicet ratam fore etiam in cœlis, si nimirum accedant conditiones, quas Deus illis præscribit, quibus peccatorum remissio annunciatur. Nunquam enim absolutè cuipiam ea annunciari potest: sed semper addenda est cõditio, si resipiscat & in Christum credat.

Cur dicatur ea remissum iri in cælum quę in terra remittuntur.

9. *Blasphemiam excusat, quam in eo ostendit Volkelius, si Deus actionum suarum rationes a nobis suspensas haberet, hoc est, si remissio peccatorum in cœlo & apud Deum dependeret a remissione peccatorum in terra, adducta ratione, quòd Deus hanc legem sibi imponere possit, & exemplo, quod tale quid olim fecerit, nempe ad vocem Iosue Solem stare jusserit.* Sed nihil proficit. Non est enim alleganda Dei potestas, ubi de voluntate illius quæstio est. Nec Deus potestate sua unquam ita utitur, ut absurdum aliquod stabiliat, quale esset illud, si remissio peccatorum in cœlo, penderet a remissione peccatorum in terra. Exemplum verò Iosue nihil huc facit. Præterquam enim quòd miraculosum prorsus est, & proinde ad actionem perpetuò durantem accommodari nequit, non dependebat Deus ex hominis voluntate, dum id faciebat quod petebat Iosue, nisi velimus Deum dependere ex omnium voluntate, qui ab illo petunt: Sed ad preces Iosue aliquid insolitum Deus præcipiebat, ut ad preces aliorum etiam, multa & interdum magni momenti, facere solet.

10. Verissimè dictum erat a Volkelio, si potestas remittendi peccata Apostolis concessa, non declarationem, sed ipsam rei istius efficientiam significaret, statuendum, Apostolos reipsa effecisse, ut quis necessariò ea haberet, per quæ vel peccatorum condonationem homines consequuntur, vel eadem excluduntur. Quia verò neutrius, nempe nec fidei in Christum, nec incredulitatis potestatem hominibus illis Deus concessit, quod hinc patet, quòd ipsemet neutrum faciat, sed liberum homini permiserit credere vel non credere, hinc etiam constare, quod declaratio tantùm remissionis concessa sit hominibus. Smiglecius *stramineam hanc appellat argumentationem, & falsitatis primam propositionem accusat.* Quomodo verò falsa esse potest propositio ista, cùm certo certius sit, sine fide in Christum, nullam dari peccatorum remissionem. Hanc porò in iis, quibus peccata remisêre Apostoli, aut paratam & præsentem jam cognoverunt, aut eandem in illis effecerunt. Paratam & præsentem cognoscere non potuerunt. Non erant enim

καρδιο-

καρδιογνῶσται. Fides autem in corde potiſſimùm latet: &, etiamſi cognoviſſent, jam non reipſa peccata remittere potuiſſent, ſed tantùm ob fidem illam præſentem, annunciare remiſſionem peccatorum debuiſſent. Vbicunque enim eſt fides, ibi jam, vi decreti divini, quod ante conſtitutionem mundi penes Deum ratum erat, remiſſio peccatorum eſt. Reſtat igitur, ut eam efficerent. Hoc verò quia impoſſibile eſt, ut docuerat Volkelius, impoſſibile etiam eſt, Apoſtolos reipſa peccata remiſiſſe. Et proinde conſtat etiam, nihil ad rem facere, quod de Deo affert Smiglecius. Is enim præterquam, quòd, ut jam diximus, jampridem decrevit, cui peccata ſint remittenda, novit etiam perfectiſſimè, quinám ſint fide illa in Chriſtum præditi, & ad quos iſta remiſſio peccatorum pertineat.

Notæ in Caput XIV.

Quæ ratio ſacrificiorum utriusq; Fœderis.

1. *Sacrificium duplex eſſe ait in ſacris literis, ſpirituale & externum.* Sed valdè vitiosè illud explicat. Spiritualia enim ſacrificia non V. F. ſunt propria ſed Novi, in quo unum & unicum eſt ſacrificium cæleſte Chriſti; reliqua terrena vel in terris, omnia Chriſtianorum ſacrificia ſpiritualia: Vetus autem fœdus externa ſola continebat, eaque duplicia, ſolennia ſcilicet vel anniverſaria, & quotidiana.

2. *Deum ait, utroque genere ſacrificii colendum eſſe.* Sed errat. Nam nec Spiritualia in V. T. præcipiebantur, ſed ſola externa: nec externa (quæ vocat Smiglecius) in N. Teſtamento requiruntur, ſed ſola ſpiritualia.

Mors Chriſti non eſt ei⁹ ſacrificiū.

3. *Externum Chriſti ſacrificium appellat Smiglecius ejus mortem.* Sed mors Chriſti non eſt ſacrificium. Sanctificavit quidem Chriſtus ſeipſum pro Apoſtolis: at non obtulit. Mox enim addit, *ut & illi ſint ſanctificati in veritate:* nec tamen oblationem Apoſtolorum intelligit. Quomodo enim in veritate offerri aliquis poteſt? Tradidit *Chriſtus ſemetipſum pro nobis, oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis:* ſed non tradendo obtulit ſe. Appellatur enim traditio Chriſti oblatio & hoſtia Deo, in odorem ſuavitatis, ut omnia alia rectè facta ſacrificia, nempe ſpiritualia, appellantur.

Ioh: 17. 19.

Phil: 4. 18.
Heb: 13. 16.
Rom: 12. 1.

4. *Sacrificium corporis & ſanguinis Chriſti crebrò Smiglecius meminit.* Sed literæ ſacræ ne ſemel quidem. Chriſtus enim, quando corpus & ſanguinem habuit, non ſacrificavit, ſed tantùm ſeipſum

tradidit & sanctificavit: Cùm verò sacrificavit, corpus (quod caro vel σὰρξ esset) & sanguinem habere non potuit, sed corpus (σῶμα) ad sacrificandum aptum, hoc est, immortale habuit.

5. *Christum in terra sacrificium suum peregisse* ait. Sed Pontificiorum hic ingens error est. Disertè enim dicitur: *si super terram esset, ne sacerdos quidem esset.* Quæ verba ridiculè ita exponit Smiglecius, *si terrenus sacerdos esset, non esset necessarium ut esset Sacerdos.* Repugnat enim hæc expositio verbis illius autoris divini, ut pote qui dicat, Si Christus super terram esset, hoc est, si non in cælis esset, ut vers: 1. dixerat, non fore eum sacerdotem: & contradictionem ipsa etiam manifestam implicant. Nam si qualicunque modo sacerdos esset Christus, nempe terrenus, negari non posset simpliciter, eum esse sacerdotem: si item terrenus esset Sacerdos, jam necessarium esset, ut esset Sacerdos. Sensus autem verborum est: Christum, si esset talis pontifex, qui non in cælis sed in terra se ipsum offerret, non habiturum locum pro sacerdotio suo, cùm scilicet adhuc tunc durarent sacrificia legalia, quæ erant umbra sacrificii istius Christi, & ad quæ Christus, ut pote ex tribu non Levi sed Iudæ oriundus, non pertinebat. Heb: 8. 4. Christi sacrificium in cælis peragitur.

6. *Formam sacrificii Melchisedechiani, qui typus fuit Christi, ait esse sacrificium corporis & sanguinis sub specie panis & vini.* Sed quia Christus corpus (quod caro est) & sanguinem hodie nullum habet, quomodo sacrificium illorum extare potest? Quæ verò sit forma sacrificii Melchisedechiani, quatenus Christo, cujus erat figura, competit, prolixè cap: 7. ad Hebr: explicatum, & a Volkelio repetitum est. Formæ sacrificii Melchised: quæ?

7. *Malachiæ locum iterum adducit, in quo dicitur, oblationem mundam Deo oblatum iri in omni loco.* Sed non docet, quod ad sententiam Pontificiorum necessarium omnino est, oblationem illam, de qua Malachias loquitur, per alios, nempe per manus sacerdotum offerendam esse: non docet etiam oblationem illam esse externam, quam vocat; & multò minus, Christum ipsum: Imò Christum non esse illam oblationem, clarè hinc patet, quòd oblatio illa mũda *in omni loco* Deo offerri debeat: Christus autem non nisi in cælo, adeoque in nullo mundi loco Deõ offeratur. Taceo quòd de oblatione tali sermo est, quam *Gentes* Deo offerre debuerunt, hoc est, universa hominum eorumque extraneorum multitudo. Hæc autem ex mente Smiglecii Christum Deo non offert, sed soli Sacerdotes. Vnde constat, id sacrificii genus exprimi, quod Volkelius expressit, & sacræ literæ N. Testamenti confirmant. Hoc enim omnibus commune est. Quid sit oblatio munda apud Malach:

Nulla eſt oblatio corporis & ſanguinis Chriſti.

8. *Oblationem corporis & ſanguinis Chriſti probat*, ſed frigidè, imò falsò. Primùm enim, quod probè notandum eſt, nusquam expreſsè & conjunctim dicitur, Chriſtum obtuliſſe corpus & ſanguinem, ſed tantùm oblationis corporis Chriſti fit mentio. Deinde ludit Smiglecius in vocabulo corporis. Hoc enim & mortale & immortale ſignificare poteſt. Nunc verò loquimur de corpore mortali, quod caro appellatur, cujus carnis oblationis nusquam fit mentio quando de Chriſti ſacrificio ſermo eſt. Nam carnem Chriſtus Deo non obtulit, (obtulit enim ſeipſum in cęlo) ſed tradidit in mortem. Corpus autem (σῶμα) quod Deus illi aptavit, Deo obtulit, hoc eſt, in cælum intulit. Chriſtum carnem nunc habere, nullo ſacrarum literarum teſtimonio comprobari poteſt: *Sanguis enim & caro regnum Dei non poſſunt poſſidere.* Per carnem autem & ſanguinem, non homines carni deditos, (quod vult Smiglecius) intelligi, hinc conſtat, quod idem eſt, carnem & ſanguinem habere, quòd terrenum eſſe, teſte Apoſtolo, & ipſo etiam Smiglecio. Terrenum autem eſſe, non eſt carni deditum eſſe, ſed temporarium aliquid eſſe. Idem enim eſt, cum eo, quod paulò antè dictum fuerat, hominem, ſcilicet naturaliter conſideratum, ſeminari in corruptione, ignominia, infirmitate & corpus animale, quæ omnia nihil cum carnalitate (ut ſic loquar) commune habent, ſed naturam hominis ſignificant. Præterea dici quidem fortaſſe poteſt, carnem homines carnales ſignificare, ſed carnem & ſanguinem ſimul juncta pro hominibus carni deditis accipi, inſolens prorſus eſt. Quid enim ſanguis commune habet cum ſtudio carnis? Hinc voces hæ junctæ, *caro & ſanguis*, de iis etiam prædicantur, qui carni nullo modo erant dediti, imò de ipſo etiam Chriſto.

Chriſtus corpus mortale non obtulit.

1. Cor: 15. 50. Caro & ſanguis naturam hominis ſignificant.

Gal. 1. 16. Heb: 2. 14.

Manducare autem carnem Chriſti quis poteſt, ſpirituali modo, etiamſi nunc nulla ſit Chriſti caro, ſicut & ſanguinem ejus bibere, cùm tamen certum ſit, Chriſtum nunc nullum in cælo habere ſanguinem. Sanguinem Chriſti *in cælo* emundare nos ab omni iniquitate, egregia ſcilicet eſt Smiglecii gloſſa, ne quid dicam gravius. Tale quid, ſi nos committeremus, qualia convitia audire nos oporteret. Poteſt autem ſanguis Ieſu Chriſti emundare nos ab omni iniquitate, etiamſi ſanguis in cælo non ſit. Sanguis enim Chriſti mortem illius ſignificat, quæ certè in cælo non eſt. *Chriſtus introivit in ſancta ſanctorum non ſine ſanguine*, non quòd ſanguinem ſecum in cælum intulerit, ſed quòd non ſine morte ſua, quæ per ſanguinem metonymicè deſcribitur, pervenerit ad exaltationem. Carnem Chriſtum glorioſam habuiſſe poſt reſurrectionem ante exaltatio-

Audacia Smigl:

Chriſtus quando corpus glorioſum habuerit.

exaltationem, magna eſt fabula. Ergo etiam oſſa habuit glorioſa & ventrem glorioſum? Cur igitur comedit & bibit? Et ſi verè & propriè non comedit & bibit, quomodo reſurrectionis ſuæ fidem, per iſtam comeſtionem & bibitionem Apoſtolis facere potuit? *Poteſt hoc corruptibile induere corruptionem*, non propriè loquendo. Nam aliàs & corruptum maneret, & ſuccederet præterea incorruptum: Sed impropriè, quia in locum corruptibilis ſuccedet incorruptibile, ut veteri veſte depoſita, nova induitur.

9. *Sacrificiis legalibus nullum aliud ſacrificium ſucceſſiſſe* ait, *quàm Chriſti ſacrificium.* Sed errat. Solis enim legalibus anniverſariis, non verò quotidianis ſucceſſit Chriſti ſacrificium. (ut & Chriſtus ipſe ſolis pontificibus ſummis legalibus, non omnibus ſacerdotibus ſucceſſit) Illa enim non hæc figura erant ſacrificii Chriſti. Quotidianis verò ſacrificiis ſucceſſerunt ſacrificia precum, gratiarum actionis & ſimilia (ut etiam univerſus Chriſti populus ſucceſſit in locum ſacerdotum reliquorum, præter illum ſummum.) Hæc enim vi Legis non requirebantur a Iudæis, ſed tantùm externa illa varia ſacrificiorum munera. — Sacrificiis legis quid ſucceſſerit.

10. *Docet Smiglecius, quomodo Chriſtus ſeipſum in terra per ſacerdotes offerat.* Sed præterquam, quòd falſum eſt, Chriſtum per alios ſeſe offerre poſſe. (ipſe enim ſe ipſum offert, ut diſertè Scriptura loquitur) aſtutè omittitur, quòd Chriſtus *in cælis* tantùm ſeſe offerat. Cœlum enim reſpondet ſanctis ſanctorum legalibus. Vt igitur ſacrificium legale ante ingreſſum in ſancta ſanctorum pontificis peragi non poterat: ſic nec Chriſti ſacrificium ante ipſius in cœlum ingreſſum peragi potuit. Sacerdotes autem Pontificii cœlum non ingrediuntur. Et dum iſta dicit Smiglecius, deplorandam Eccleſiæ ſuæ prodit inſcitiam, circa hoc totum Chriſti ſacrificii negotium, ut pote quæ ea, quæ figuratè & allegoricè dicta ſunt, per ſummam vim propriè accipienda cenſet. Chriſti enim ſacrificium aliud nihil eſt, quàm Chriſti apud Deum præſentia, quâ fit, ut peccata noſtra deleantur. Chriſtus enim, quia apud Deum perpetuò eſt, potentiam habet abſolutam, nos ab omnibus malis tuendi, & vitam nobis æternam donandi. — Chriſtus in terrâ ſe non offert. — Quid ſit Chriſti ſacrificium.

11. *Ex eo, quòd Chriſtus ἀρχιερεὺς dictus eſt, colligit, eſſe alios minores ſacerdotes, per quos Chriſtus ſemet ipſum offerat.* Sed falſò. Chriſtus enim ἀρχιερεὺς dicitur, non reſpectu minorum, qui nunc ſint, ſed qui olim fuerunt ſub lege, quòd ſcilicet non in horum locum ſucceſſerit, ſed iſtorum majorum & ſummorum. Et ſi tamen etiam reſpectu eorũ, qui nunc ſunt, ἀρχιερέα eũ dici quis velit, nonné omnes — Cur Chriſtus dicatur ſummus pontifex.

mnes

1.Pet:2.9. Act:1.6. & 5.10.

mnes Christi fideles sunt sacerdotes,& regale sacerdotium?

12. *Causas prolixè duas exponit, cur Christus per ministros se ipsum offerat.* Sed frustra,quando probatum non fuit nec probari potest, Christum se per ministros offerre. Negata enim ipsa tali oblatione non est,cur de causis investigemus quicquam.

Cur sacrificium Melchisedeci cũ Christi sacerdotio comparetur.

13. *Negat ideo Christum sacerdotem esse secundùm ordinem Melchisedechi, Quia nec originem nec finem habeat sacerdotium Christi, ut nec Melchisedec habuit,*idque ob eam causam,*quòd hoc commune sit etiam aliis, nempe Iobo & Heliæ.* Sed ubinam legimus, eos fuisse sacerdotes, nempe a Deo ad sacrificandum constitutos? Deinde etiamsi hic commune aliquid esset Melchisedecho cum aliis, nonné autoritas Spiritus S. tanta esse debet apud nos, ut, cùm disertè huius Melchisedeci & nullius alterius sacrificium cum Christi sacrificio comparat,in eo acquiescamus,& statuamus,rectissimè in Melchisedecho adumbratum illud fuisse,quod in Christi sacrificio observandum est,& illud constituit,præsertim cùm antiquitus in Psalmis etiam id prædictum fuerit, & nomen Melchisedeci ea contineat,quæ verè Christo competunt, ut autor Epistolæ ad Hebr:in initio c. 7. luculenter docet.

Christus divinã naturam non habuit.

14. *Christum sine Patre esse respectu humanæ,sine matre respectu divinæ naturæ ait.*Sed hoc bellum est commentum Pontificiorum, in quo nihil veri prorsus inest. Nam & naturæ in Christo duæ non sunt.cùm homo verus adeoque persona vera humana Christus fuerit. Datâ autem personâ humanâ Christi, divinam naturam, quæ persona sit, non dari ipsa res loquitur, & Smiglecius non negat; & falsum est Christum respectu naturæ humanæ esse sine patre. Deus enim per Spiritum S.eum genuit in utero virginisMariæ,& propter istam generationem, sanctum, quod in utero virginis natum fuit,Filius Dei altissimi appellatur & Filium Dei factum esse ex semine Davidis, Apostolus disertè testatur. Ridiculum denique est dicere,Christum sine matre fuisse, quoad divinam naturam, Quis enim de matre, quæ ab æterno extiterit in cœlo, unquãm cogitavit,ut ea de re monere nos Spiritum S. oportuerit?

Christus respectu naturæ humanæ Dei filius.

Luc:1. 35. Rom:1.3.

Christus quomodo initium dierũ non habuerit.

15. *Initium dierum Christus non habuit, non simpliciter, respectu essentiæ,* ut vult Smiglecius. Conceptus est enim certo tempore, sed secundùm quid,respectu muneris, & eo modo, quo Melchisedechus, quatenus, quia ut hic,sic & Christus nemini successit in munere suo nec ei quisquam succedet.

16. *Melchisedechũ panem & vinum sacrificasse docet Smiglecius veterum Rabinorum, & communi omnium patrum Latinorum Græcorumque*

rumque

rumque consensu. Cur verò non rationibus? Nam & dubium admodum est, quod de Rabinis & patribus omnibus dicit: &, si verissimum esset, longè est infirmissimum. Nonné enim Rabini falli, & communis patrum consensus, communis error censeri potest? Equidem tunc certissimè errare, & non habere quod dicat, Smiglecium, credo, quando ad autoritatem humanam confugit. Ita enim est perspicax, ut, non nisi in desperatione de inveniendis aliis argumentis, in has semetipsum angustias conjicere videatur. Autoritas humana argumentum infirmum.

17. *Alios etiam, qui Sacerdotes non essent, aliis benedixisse ait.* Sed & sacerdotes, eosque imprimis aliis benedixisse & benedicere potuisse, nemo negare potest. Itaque hæc verba, quæ ex Hebraico ita sonant, *prout hic erat sacerdos Deo forti excelso,* causam reddere dici possunt omnium illorum, quæ Melchisedechus fecit, nempe humanitatis erga Abrahamum, benedictionisq; tum Abrahami tum ipsius Dei.

18. *Melchisedechum non profanum panem, sed panem sacrum & Deo prius oblatum protulisse,* audacter a Smiglecio dicitur, sed nulla vel specie rationis comprobatur, nisi sanctorum patrum autoritate. Nonné verò sacerdos panem & vinum proferre potuit prophanum, ut loquitur Smiglecius, hoc est, vulgarem? Præda verò quam secum afferebat Abraham, non impedit, quò minùs ei panem & vinum apponeret. Nam non semper in præda sunt, quæ ad victum pertinent: Et si maximè fuissent, potuit illud vel nescire Melchisedechus, vel dubitare, an aliquid esset paratũ vel parabile pro Abrahamo reficiendo. Et sanè mirum est, Smiglecium nihil curare magnorum Roberti Stephani Bibliorum autoritatem, qui eodem planè modo, quo nos verba illa convertit, ut Volkelius annotârat. Ita scilicet excæcatus præjudicio, nihil videt, quod causæ suæ adversatur, quantumvis sit verissimum. Melchisedecus qualem panem & vinũ protulerit.

19. *Errorem appellat, quòd Christus semetipsum per se ipsum in cælo offerat* (quod tamen disertissimè scriptura affirmat) ob hanc causam, *quòd, si sacrificium in cælum sit trãslatum, legem quoque Evangelicam in cælum translatam esse dicere oporteat. Sublato enim sacerdotio, necesse est quoque legis translationem fieri.* Sed imponit sibiipsi & aliis astutulus Smiglecius æquivocatione vocis *transferre.* Autor enim Epistolæ ad Hebr: 7. per translationem, non ex loco in locum transportationem rei alicujus talem significat, ut ipsa res interim maneat, sed ejus abolitionem; & sublato sacerdotio legem etiam tolli ait, hoc est, legalem cultum. Pars enim potissima illius erat sacerdotium: Smiglecius verò de tali translatione loquitur, ubi res Quid sit Translatio sacerdotii.

eadem manet, & in locum alium transfertur. Poteſt autem peregregiè ſimul eſſe ſacerdotium & lex Chriſti, licet in diverſis locis: Sacrificium in cęlo,lex verò in terris,quatenus ſcilicet hominibus illa proponitur. Quanquam ſuo modo etiam in cælis eſſe dici poſſit lex Chriſti, quatenus tota cæleſtis eſt. quo ſenſu etiam,de cælis loqui Deum ad nos ſub N.T.,dicitur, reſpectu legis, ſub qua ſuper terram locutum fuiſſe ibidem dicitur.

Heb:12 25.

20. *Iterum idem probat eo,quòd Chriſtus non haberet quod offerret, ſi panem & vinum per Miniſtrorum manus non offerret.* Sed hîc iſta craſſa ignorantia Eccleſiæ pontificiæ iterum ſeſe prodit, quæ ſentit,Chriſtum propriè loquendo aliquid offerre,quo vix aliquid inſulſius & divina Chriſti religione indignius excogitari poteſt. Chriſtus enim nihil cuiquam, propriè loquendo, offerre poteſt, cùm ſit ipſe poſt unum Deum altiſſimus, & vices ipſius Dei quodammodo gerat in ſalute hominum procuranda. Et ſanè, ſi abſurdum eſt,Chriſtum precesDeo offerre,quantò abſurdius erit,Chriſtum Deo panem & vinum offerre, præſertim cùm neceſſe ſit, Chriſti ſacrificium in cælis peragi,quorum figura erant ſancta ſanctorum legalia? *Chriſtum ſacrificium crucis pro nobis repræſentare,* nemo unquam noſtrum dixit. Nam ſacrificium crucis nullum agnoſcimus:& illam Deo pro nobis repræſentationem,pro ingenti monſtro in Chriſti religione habemus. Quanquam neſcio, cur Smiglecius dicat, tale ſacerdotium a quovis de facto offerri. Quis enim unquam audivit,fideles ſacrificium crucis Deo pro nobis repræſentare. Omnium autem abſurdiſſimum & monſtroſiſſimum eſt illud, quòd ait, *ſi Chriſtus ſe ipſum & ſacrificium crucis Patri pro nobis repræſentet, id à quovis offerri poſſe & offerri de facto.* Nihil enim ipſæ affaniæ dicere poſſunt fœdius,quàm hoc eſt.Et certè tanta affaniarum farrago eſt, quicquid de ſacerdotio Chriſti diſſeritur a Smiglecio,ut,ſi quid eſt,quod religionem Pontificiam ſuſpectam reddere poteſt, hoc ſit ferè potiſſimum.

Chiſti ſacrificiū cur figuratum ſit.

21. *Chriſtum in cœna Apoſtolis dediſſe corpus & ſanguinem ſuum ad manducandum & bibendum,* ingens eſt error. Aſſidebat enim ipſe Dominus in corpore ſuo menſæ, cùm panem comederent & vinum biberent Apoſtoli. *Tunc verò eum ſacrificium inſtituiſſe*, quantumvis audacter a Smiglecio dicatur,nullo tamen ſacrarum literarum verbo probari poteſt. Vt enim ante mactationem pecudis legalis ſacrificari non potuit, ſic nec Chriſtus ante mortem ſacrificium peragere potuit: Imò nec in ipſa morte ſacrificium peractum fuit, nec poſt mortem in reſurrectione Chriſti, ſed tunc demum

Chriſtus quando ſacrificavit.

cùm

cùm ſemetipſum Chriſtus in cælum intulit. Nec quicquam valet, quòd in præſenti tempore dictum eſt, *quod frangitur* aut *effunditur*. Solent enim ſæpe enallage tales temporum occurrere. Fractum eſt autem Chriſti corpus, quatenus mirum in modum excruciatum fuit, antequam Chriſtus moreretur. Calicem pro nobis effuſum eſſe, quantumvis paulò duriore tropo dici poſſit, non neceſſe eſt tamen concedere. Poſſunt enim verba, *pro vobis effuſus*, ad ſanguinem referri, licet mutato genere in Græco ſermone, cui ſimile quid eſt Apocal: 1. 5. ubi pro ὃς ponitur ὁ. Calix autem effuſus eſt, quatenus vinum infuſum & deinde bibitum, repræſentavit futuram tunc Chriſti ſanguinis effuſionem. Et hæc ita obvia ſunt & facilia, ut de reſponſione vix cogitandum fuerit Volkelio, nedum ut opus habuerit ea, ut Smiglecius ait, diſſimulare, idque cum iſta exaggeratione, *Vt pleraque alia*. Nam quæ pleraque Volkelius diſſimulaverit, equidem non video, nec Smiglecius oſtendet, nedum ut prudens id fecerit.

Quid ſit fractio corporis.

Quomodo calix effuſus dici poſſit.

22. *Volkelium, qui menſam domini & altare differre ait, rudem appellat, quia ſcilicet apud Prophetas interdum altaria menſæ appellentur.* Sed non valdè eruditus eſt Smiglecius, qui ex eo, quòd altare interdum menſa, quia ſcilicet in altari etiam cibus apparari poteſt, appellatur, menſam viciſſim altare appellari debere credit. Ad menſam enim propriè ſic acceptam, comeditur & bibitur, non verò ſacrificatur, quod fit apud altare. Et quia fideles nihil offerunt, (offerunt enim tantùm ſacerdotes, ex mente Smiglecii) ſed tantùm comedunt & bibunt ad menſam domini, nihil ſanè cauſæ eſt, cur menſa illa altare dici debeat.

Differunt menſa & altare.

23. *Ex loco Hebr: 13. eruere conatur, Chriſtianos habere eſcam in altari, quæ maximè cor ſtabiliat*, cùm tamen autor ille contrarium dicat, nempe gratiâ non cibis cor ſtabiliri, hoc eſt, eſcarum uſum, nullum prorſus apud Chriſtianos fructum habere, idque ideò, quòd in ſacrificio pro nobis peracto pontifex ingreſſus eſt in ſancta. Nam ſub lege, quandocunque pontifex ingrediebatur in ſancta, ut ſcilicet eò inferret ſanguinem mactatæ pecudis, tunc non licebat quicquam comedere ex pecude illa mactata, ſed neceſſe erat eam totam igni comburere, ut fuſiùs illud a Volkelio explicatum fuerat. Quod cum refellere non poſſet Smiglecius, naſo ſuſpendere, maluit, & *Racoviam remittit, ubi ait omnia talia cum plauſu excipi, quæ nullum autorem habent, ſed ſola novitatis vanitate ſubſiſtunt.* Hinc agnoſce lector, non habuiſſe Smiglecium, quò elevaret hunc peregregium divini illius autoris a Volkelio indicatum ſenſum. Raco-

Senſus loci Heb. 13.

viæ

viæ autem ſcito nihil excipi, niſi quòd Deum & ejus verbum autorem habet: reiici autem omnia, quantumvis vetuſtate quadam formidoloſa ſint, quæ cum eodẽ divino verbo non conſentiunt.

D. Andreas Apoſtolus Smigl.

24. *Divi Andreæ bis mentionem Smiglecius fecerat, de ſacrificio hoc pontificio aliquid teſtantis.* Hujus autoritatem repudiarât Volkelius, & jure quidem. Quis enim unquam audivit de ſcriptis D. Andreæ Apoſtoli? Cur igitur Smiglecius id, quod ſemel effutierat imprudens, aut non defendit aut revocavit? Scilicet hic eſt Theologiæ doctore dignus candor.

Notæ in Caput XV.

1.Cor:15.51.
1.Tim:3.16.
Non omne myſterium eſt Sacramentum.

1. I*nſultat Volkelio, quòd cœnam Domini ſacramentum appellari negaverit, & eam appellari ita poſſe affirmat. Quia etiam conjugium a Paulo ſit non tantùm ſacramentum, ſed & magnum ſacramentum appellatum.* Sed falſum eſt, conjugium a Paulo ſacramentum eſſe appellatum. Eſt enim in Græco *μυςήριον*. Iam ſi omne myſterium ſacramentum eſt, plura erunt, quàm a pontificiis numerantur. Myſterium enim Paulo eſt, quòd non omnes obdormiſcent, omnes autem mutabuntur. Imò myſterium illi eſt univerſa Chriſti religio. Nec tamen ſacramenta ea quisquam hactenus appellat. *Definitionem ſacramenti ait convenire cœnæ Domini, ergo etiam nomen ſacramenti.* Cur verò non appoſuit iſtam ſacramenti definitionem, ut cognoſceremus, an cœnæ domini conveniret nec né? Sed nec myſterii nomine appellari poteſt cœna Domini. Nam nihil in ea, quod omnes, ſi ſemel moneantur, non intelligant, ineſt.

Chriſtus eum panem dedit corp⁹ non effecit.

2. *Fatemur, Chriſtum dixiſſe Apoſtolis, Hoc facite: fatemur vi horum verborum conſequi Apoſtolos idem facere debuiſſe, quod tunc faciebat Chriſtus.* Sed duo ſunt, quæ Smiglecius probare nunquam poterit: Vnum eſt, Chriſtum tunc, cùm panem daret & vinum, corpus ſuum & ſanguinem effeciſſe, ut ineptè etiam loquitur Smiglecius. Iam enim erat corpus & ſanguis Chriſti, quid igitur efficere illa opus erat? Sed aliud dicturus erat, Chriſtum ſcilicet tunc ex pane corpus, ex vino ſanguinem ſuum effeciſſe. Vnde verò hoc elici poteſt? Quod tanti miraculi vel minimum veſtigium? Sed de hoc ſuprà dicta ſunt plura. Alterum eſt, id quod Chriſtus dixit, *Facite*, ad ſolos ſpectare Apoſtolos. Tam enim facere illud jubentur omnes fideles, quàm Apoſtoli, ut teſtis eſt Apoſtol⁹, qui omnibus illud fi-

Cœna domini ad omnes æquè pertinet.

delibus ex æquo præcipit. Nihil autem agit Smigle:, dum ait, *Paulum explicare eam cœnæ domini partem, quæ à fidelibus in ea præſtanda*

ſit:

ſit: at non id quod a miniſtris præſtari debet. Hæc enim omnia dubia imò falſa ſunt, cùm nihil ſit, unde conſtet, alias eſſe partes in hac ceremonia miniſtrorum, aliàs aliorum fidelium. Imò iſta, quam ſibi arrogant ſacerdotes, præeminentia, magnæ ipſorum audaciæ, ne quid dicam gravius, argumentum eſt. Quod verò nihilominus obſervatur, ut miniſtri cænam diſtribuant, id non neceſſitatis alicujus, ſed decori & boni ordinis causâ fieri cenſendum eſt. *Miniſtros eſſe diſpenſatores myſteriorum divinorum,* nihil huc facit, cùm nullo modo conſtet, cœnam Domini myſterium eſſe. Myſterium enim ſcientiam tantùm rerum reſpicit, non verò hominum facta.

Cur miniſtri cœnam diſtribuant.

3. *Nihil*, ait Smiglecius, *Volkelium de Cænæ dignitate ſentire.* Sed hoc eſt calumniari. Præceptum enim Chriſti, idque perpetuum, ad commemorationem Chriſti vel annunciationem mortis ejus inſtitutam, & communionem corporis & ſanguinis Chriſti, ut Apoſtolus ait, eſſe credit Volkelius. Quæ verò huic ceremoniæ affingit præterea Smiglecius, ea ſuperſtitio mera & deteſtabilis Idololatriæ ſpecies cenſenda ſunt.

Quid de cænæ dignitate ſentiam?

Notæ in Caput XVI.

1. *Diſpenſatores myſteriorum Dei appellat Miniſtros Pontificios Smiglecius, quia ſeptem Sacramenta retineant & adminiſtrent.* Sed primùm quis iſtum Sacramentorum numeroſum titulum docuit? aliud eſt Sacramentum, aliud myſterium. Dantur enim multa myſteria, quæ non ſunt Sacramenta, ex mente etiam Smiglecii, ut paulò ante docuimus: Ex mente autem Evangelii nullum eorum, quæ Sacramenta appellat Smiglecius, reverâ myſterium eſt. Quàm ſincerè autem retineant iſta Sacramenta Miniſtri pontificii, peregregiè docuerat Volkelius, nempe parte illorum prorſus eos carere, ut manuum impoſitione & unctione cum talibus effectis divinis, qualia tempore Apoſtolorum iſtas actiones conſequebantur: baptiſmo item, quem ad infantes contra mentem ſcripturæ & morem Eccleſiæ Apoſtolicæ tranſtulerunt: partem etiam fœdiſſimè adulteraſſe, ut in cœna Domini videre eſt, ubi pro vero ejus ritu & uſu variæ geſticulationes hiſtrionicæ & opinationes Idololatricæ jampridem obtinuerunt. Ad hæc cur connivet Smiglecius? Dolendum autem eſt, Miniſtros pontificios plærosque nihil minùs eſſe, quàm diſpenſatores myſteriorum Dei, ut pote rudiſſimos non tantùm in abſtruſioribus Chriſtianæ re-

Pontificii Sacramenta non retinuerunt.

Pontificii miniſtri non ſunt diſpenſatores miſteriorum Dei.

ligionis arcanis, verùm etiam in ipsis rudimentis vix ac ne vix quidem, prout sat est, exercitatos, & interim dispensatione eorum, quæ ad ipsos jure non pertinent, nec illorum propria sunt, tantum sibi comparasse & extorsisse autoritatis, ut eos, qui rerum divinarum scientiâ pollent, præ se nimis liberè contemnant.

2. *Potestatem administrandi ea, quæ Sacramenta Smiglecius appellat, Baptismi scilicet & cœnæ Domini, ad certos homines pertinere, iterum affirmat Smiglecius.* Sed quàm falsum illud sit, suprà dictum fuit. Possunt autem differre Ministri a reliquis fidelibus: etiamsi non differant administratione aliquorum Sacramentorum. Dum scilicet Ministri aliis sacras literas, adjuti illis, quæ non cuivis data sunt, adminiculis, tum linguarum tum artium etiam quarundam, sicubi sunt obscuriores, explicant: ad officium faciendum jugiter commonent, in necessitatibus constitutos consolantur, & alia horum similia faciunt: fideles verò dicta illorum, ad trutinam verbi divini examinata, recipiunt, & eisdem, verbo divino populum Christi pascentibus obediunt.

Quib' rebus differant ministri ab aliis fidelibus.

3. A rationibus qualibuscunque ad scurriles iterum cavillationes delabitur, dum ait, *licere etiam dæmoni baptizare & cœnam nobis administrare, si ad hæc facienda nulla singulari opus sit potestate. Licere etiam nobis in popinis & mensis communibus sacram cœnam sumere, siquidem ad Cœnæ negotium nulla alia re opus sit, quàm panis simplicis fractione & vini potu, adjunctâ commemoratione mortis Domini.* Prius enim quid sapit Theologicum, quid homine gravi & cordato dignum? Num dæmon ad Christi Ecclesiam pertinet, ut ita concludere liceat? Si aliis, quàm Ministris licet baptizare & Cœnam administrare, licebit etiam dæmoni? Alterum verò partim ab Apostolo refutatur, dum ait: *Nonné domos habetis ad manducandum?* partim ab ipsa ratione. Cur enim, quod in loco honesto administrari potest, in loco famoso administretur? Poterat etiam ab ipso Domino, naturâ rei inspectâ, in popina institui cœna ipsius, ut in mensa communi instituta fuit: & tamen videmus, Dominum ad eam instituendam locum peculiarem, non tamen ad id consecratum, elegisse. Et præstat sanè istam simplicitatem in actionibus externis, quæ ad Dei gloriam pertinent, observare, quàm ceremoniosâ istâ & phaleratâ pompâ homines tacitè in superstitionem & idololatriam præcipitare.

Cur in locis honestis cœna Domini administrãda.

4. *Frigidè id excusat Smiglecius, quod Baptismum ipsimet Pontificii aliis etiam administrare permittunt, & tamen dicunt, Ministris tantùm licere sacramenta administrare.* Nam si baptismum, qui aliis Sacramentis

cramentis præstat, licet anui etiam administrare, quomodo non licebit alia etiam sacramenta, hoc multò inferiora, aliis, qui Ministri non sunt, administrare? Baptismi autem ad salutem summam esse necessitatem, pro magno iterum errore censendum est.

Sacramenta aliis præter ministrû, administrare licere.

5. Purgaturus crimen, quòd alteram speciem Ecclesia Romana e Cœna subtraxerit, mirè se torquet. Nam *magis se & suos statuere* ait, *quàm omnes Evangelicos, quippe qui Christum in Cœna non habeant, etiamsi habeant utramque speciem.* Sed hæc nimis indirecta & calva est responsio. Esto enim Evangelicos errare, num ideò rectè sentiet Smiglecius? Possent enim & Evangelici Christum in cœna non habere, sed tantùm nudas species: & tamen possunt etiam errare Pontificii, qui speciem alteram subtraxerunt. Et proinde possunt jus habere Evangelici agendi cum Pontificiis, quare alteram speciem ademerint, quemadmodum jus habent Pōtificii agendi cum Evangelicis, quare Christum a cœna excluserint. (ut illi existimant.) Sed deinde quomodo accusari possunt Evangelici, quòd Christum in cœna non habeant, cùm Christum ibi, eo modo, quo vult Smiglecius, esse, nullo modo sit necesse, imò nec possibile? Et hoc asserere, est rem adversa fronte cum universa Christi religione pugnantem, & horrendæ idololatriæ causam, in Christi religionem introducere. Respondeat Smiglecius ad id, quod objicitur, & deinceps, si quid habet, objiciat etiam aliis.

6. *Evangelicos*, ait, *non habere potestatem utramque speciem conficiendi, se verò cum suis eam habere, quòd scilicet juxta Christi institutum & mandatum in sacrificio utramque speciem & offerant, & offerendo sumant. Et hac occasione disserit de duplici commemoratione, quæ fit in Cœna Domini, una primaria, quæ fit à Ministris per sacrificium, altera secundaria, quæ fit ab aliis fidelibus, qui ad eum finem ad quem sacerdotes sacrificium offerunt, sua* (ut habent Smiglecii verba) *devotione concurrunt.* Egregia sanè gloriatio, quæ vanissimo simul & putidissimo humani cerebri nititur commento. Itáne licet quod libet? Animadvertat autem Smiglecius, nos istos discursus potiùs quàm argumenta illius magno animo contemnere & repudiare posse, cùm, de diversa ista commemoratione mortis Christi in cœna Domini, ne apex quidem unus in sacris literis extet. Pari enim prorsus ratione omnes fideles unâ cum Ministris ad hunc ritum pertinere, ex Paulo nimis manifestum est, qui benedictionem calicis omnibus fidelibus attribuit, & solos fideles Corinthios, apud quos tunc nullus erat Minister, docet, ut celebratione cœnæ Dominicæ mortem Domini annuncient.

Nulla in cœna Ministrorum ab aliis fidelibus differentia.

 7. Porrò

7. *Porrò* ait, *ſe, cum laicis alteram ſpeciem auferunt, Chriſti inſtitutionem ſequi*. Hoc verò mirum videri debet, eum, qui aliter, quam Chriſtus inſtituit, aliquid adminiſtrat, ſequi inſtitutionem Chriſti. Audiamus rationem. *Ita enim* ait, *Chriſtus inſtituit, ita fieri voluit, ita Chriſti inſtitutionem & mandatum Eccleſia Catholica ſemper intellexit*. At hoc eſt nugari: Sequimur Chriſti inſtitutionem, quia ſic Chriſtus inſtituit, ſic fieri voluit. Hoc etiam eſt cauſam ſuam prodere, cùm a rationibus deſtitueris, ad autoritatem Eccleſiæ confugere, quod illud magnum eſt aſylum Smiglecii, quo ſi careret, crebrò eum obmuteſcere oporteret. Quid verò valet, Eccleſiam Catholicam, hoc eſt, pontificiam ſemper ita Chriſti inſtitutionem intellexiſſe, ſi aliter eam intellexit Eccleſia Apoſtolica? Hæc enim & panis comeſtionem & vini bibitionem Chriſtum inſtituiſſe teſtatur, & utrumque illud cœnam domini celebraturis præcipit. Paulo namq; teſte, Chriſtus accepit panem & calicem, & utroque uti juſſit. Idem Paulus ait ad fideles ſcribens, *Calix benedictionis, quem benedicimus, nonné eſt communio ſanguinis Chriſti? Panis, quem frangimus nonné eſt communio corporis Chriſti?* & iterum. *Quotieſcunque manducaveritis panem, & poculum biberitis, mortem domini annunciatis.* Et tertiò: *Quicunque manducaverit panem hunc vel biberit calicem domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Chriſti*, & quartò: *probet autem homo ſe ipſum, & ſic de pane edat, & de calice bibat*, & quintò: *Nam edens & bibens indignè*, & ſextò: *judicium ſibi ipſi manducat & bibit*. Valeat ergo cum ſuis nugis Smiglecius, qui cœnam domini, quâ ad ſacrificium ſpectat, utramque ſpeciem complecti, quâ verò alios fideles ſpectat, unam ſufficere affirmat. Nam nec cœnam Domini ſacrificium eſſe, nec magis eam ad ſacerdotes quàm ad alios pertinere, unquam ei perſuadebit, qui ſecundùm ſolas ſacras literas ſapere voluerit.

Eccleſiæ autoritas nulla eſt contra Chriſti & Apoſtolorum præcepta.

8. Porò ait Smiglecius. *Chriſtum tantum uni ſpeciei contuliſſe, quantum utrique; nec plus utramque in ſe continere, quàm alteram tantùm*, & hoc ita probat: *Eundem enim & integrum Chriſtum una æquè ac utraque continet, nec utraque plus complectitur quàm altera tantùm: nec una minus habet, quàm ſi ambæ conjunctæ ſumantur.* At hoc eſt non tantùm aniliter nugari, ſed etiam nugationem per nugationem probare. Nihilo enim plus eſt in ratione, quam in quæſtione. Præter hoc nugationis artificium, quo mirum in modum Smiglecius obtundere lectorem, & opinionis ſuæ turpitudinem palliare voluit, ingens etiam error in eo eſt, quòd Chriſtum ipſum eſſentialiter in cœna, in qua tantùm mortis Chriſti fieri debet commemoratio, præſen-

Chriſtum in cœna eſſentialiter non eſſe.

præſentem adeſſe pro conceſſo ſumit, & ita quidvis dicere non erubeſcit. Iam verò ſatis ſuperque notum eſt,id vel falſum eſſe vel ſaltem a nobis negari.Quomodo ergo abſque ulla probatione, toties hoc ad nauſeam usque iteratur? Si dicat Smiglecius,ſcriptum eſſe, *Qui manducat me, & ipſe vivet propter me.* Item, *qui manducat hunc panem,vivet in æternum*·Ego regeram,vel hæc ipſa verba Chriſti docere, de cœna ipſius in illis ſermonem nullo modo eſſe. Nam primùm hic de manducatione Chriſti & panis ſolius ſermo eſt: Cœnam verò Domini, Chriſti comeſtionem eſſe falſiſſimum eſt; ad eandem porrò non tantùm panis comeſtionem, ſed etiam vini bibitionem neceſſariò requiri ſuprà ex Apoſtoli verbis expreſſè docuimus. Deinde de tali mãducatione hic ſermo eſt,quàm ſolam & abſolutè conſideratam neceſſariò conſequitur vita æterna: At comeſtionem panis in cœna Domini, tantùm abeſt,ut conſequatur neceſſariò vita æterna,ut eam conſequi poſſit judicium, ſi ſcilicet quis eo indignè veſcatur. Quod de comeſtione panis de qua Ioan: 6. ſermo eſt, & ipſius Chriſti nunquam dici poteſt. Hoc enim ſemper per ſe res eſt ſanctiſſima, & ipſum hoc factum, nempe comeſtio corporis Chriſti vel ipſius Chriſti,ipſa eſt pietas. Vnde etiam comeſtio Chriſti (quæ tertia ratio eſt) tanquam perpetuum aliquid in nobis inhærens conſideratur: At comeſtio panis in cœna Domini, ſtatis temporibus fieri poteſt, teſte Paulo: *Quotiescunque manducaveritis, quotiescunque biberitis.* Taceo, quòd nimis abſurdum eſt ea verba, quæ Chriſtus longè ante mortem alia occaſione dixit, ob ſolam vocularum ſimilitudinem, ad cœnam illius pertrahere, quæ ante ipſam mortem demum inſtituta fuit.Vnde factum eſt, ut ipſimet Lutherani, qui tamen non minùs quam Pontificii Chriſtum in cœna præſentem eſſe, & oraliter manducari credunt, & propterea implacabili odio adverſus Calvinianos, qui hoc negant, flagrant,hoc in loco Ioan. 6. de cœna domini ſermonem minimè eſſe agnoverint. Addo hic illud, quod infra c. 1. 8. ipſe Smiglecius affirmat,D.Ioannem nihil de cœna Domini ſcripſiſſe.Quomodo igitur verum eſt,Ioan.6. de ea ſermonem eſſe? Memoria ſcilicet defecit hominem.

Cur verba Ioh:6. de cœna domini non ſint intelligenda.

9. *Differit etiam de differentia Inſtitutionis & præcepti.* Sed otioſè. Vtrumque enim ſimul & ſemel in eadem re conſiderari poteſt, ut hic in cœna Domini accidit. Nam Chriſtus eam & inſtituit, & præcepit, cùm dixit, *Accipite, edite, bibite, Hoc facite in mei commemorationem.* Hoc enim modo præcepta dare ſolebat Chriſtus, ut ex iis locis,ubi præcepta continentur, apparet,Matth. 10. & alibi.Quæ

Inſtitutio & præceptum in cœna domini concurrũt

bi. Quæ verò iterum differit de eo, *quòd utraque species retineri debeat in sacrificio, in usu verò communi fidelium possit non retineri*, appello te, lector cordate, an non sint jam aliquoties in hoc capite dicta, ut hinc agnoscas ingenium Smiglecii hac in parte etiam vitiosum, quòd sola iteratione unius ejusdemque rei effecturum se fortasse sperat, quod soliditate argumentorum efficere nequit.

10. *Licentiam Ecclesiæ suæ, quòd alteram partem cœnæ Domini laicis subtraxerit, adumbratam esse ait a Paulo, cùm de utraque specie loquens, semel particula conjunctiva utitur, semel disjunctiva: Quotiescunque*, ait, *panem hunc & calicem bibetis* (sic habent verba Smiglecii) *mortem Domini annunciabitis* (*annunciatis* est in Græco) & mox: *Itaque quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Item: *quòd idem Paulus, de pane Christum referat absolutè dicentem: Hoc facite in meam commemorationem, de calice verò, Hoc facite, quotiescunque feceritis*, (*bibetis* habet textus.) Sed quàm hæc sint infirma, dici vix potest. Et tamen hisce frivolis cōjecturis res tanti momenti nititur. Nonné enim præstat id observare, quod Paulus aliquoties repetit, & proinde statuere, vocem *vel* tantundem valere, quod *Et*, quàm hoc vocabulo fretum, rem tam monstrosam in Christi Ecclesiam introducere? Certè Syrus interpres simpliciter pro *vel*, habet *Et*. Præterea si distributivæ voculæ habenda est ratio, sequeretur, cœnam Domini posse celebrari solo calicis usu, quod & falsissimum est. Alibi enim per fractionem panis hæc ceremonia describitur; & ipse etiam Smiglecius improbat, dum ait, *indicari verbis Christi, quotiescunque bibetis, usum calicis non perpetuò futurum in Ecclesia, cùm panis usus constans & perpetuus esset futurus.*

Vox distributiva Vel vim copulativa & habet.

Verissimè autē dictum est a Volkelio, verba illa de calice prolata, *Quotiescunque biberitis*, ad tempus utendi cœnâ pertinere. Nam quod semel de calice Christum dicentem refert Apostolus, id de pane & calice, ipsemet repetit his verbis, *Quotiescunque manducaveritis panem hunc.* Vt mirum sit, quid in mentem venerit Smiglecio cùm dicit: *Cur enim existimamus, hanc exceptionem calici & non pani additam.* Vt nihil nunc dicam de eo, quòd res potiùs quàm ipsa Christi verba Apostoli recitârint in descriptione institutionis cœnæ Domini. Nam hæc omnia verba calici in Epistola ad Corinthios addita, non habentur in descriptione Lucæ, quæ tamen ipsius Pauli esse creditur. Quemadmodū etiam in ipsis verbis, quibus Christ⁹ de calice usus est, Apostoli variant. Pro eo enim, quod alii habent: *Hic est sanguis me⁹ novi Testamenti*, Lucas habet: *Hic calix est*

Differentia in descriptione verborum institutionis leviuscula: & cur.

novum Testamentum in sanguine meo, & eodem modo repetitur in Epistola ad Corinthios. Non cogitavit scilicet Spiritus sanctus, qui in Apostolis erat, de istis nugis, quas hodie nectunt homines ex ipsorum verbis: Imò tales leviusculas differentias extare Deus voluit, ut haberent, homines curiosi, magis quàm religiosi quo ingenium suum exercerent, & semetipsos intricarent.

Notæ in Caput XVII.

1. C*atholicam Ecclesiam esse debere*, semel affirmat Smiglecius: iterum verò concedit, eam ab initio talem non fuisse, nec talem futuram in fine ob Antichristum. Quomodo igitur fides Smiglecio adhibenda? vel quomodo, qui ab initio fuerunt, & in fine futuri sunt Ministri, veri fuerunt vel erunt Ministri, si quidem non Catholicæ Ecclesiæ Ministri fuerunt aut futuri sunt? *Cõtradictio Smiglecii evidens.*

2. *Talem Ecclesiam ab initio fuiße & futuram in fine*, ait, *quia Deus id ita prædixerit*. Ergo falsum est, Ecclesiam necessariò futuram fuisse Catholicam, si Deus eam talem nec ab initio nec in fine futuram prædixit. Et proinde Catholicum esse, signum Ecclesiæ esse nullo modo potest. Signum enim proprium semper & perpetuò, cum re signata eaque sola, conjunctum esse oportet, ut etiam adversus Sadeelem urget Arcturus Iesuita. *Cur Catholicum esse, non sit signũ ecclesiæ.*

3. *In medio seculorum, à tempore Apostolorum labentium, Ecclesiam Catholicam futuram fuisse probat quibusdam testimoniis.* Sed & hoc facit ineptissimè. Potuerunt enim dari Christo gentes in hæreditatem, ut habet Psalmus 2.: & tamen potuerunt gentes eum non recipere. Regnum enim Christi non ex animis subditorum, sed ex potestate Christi in eos censendum est, ut etiam ipsius Dei. Hic enim regnum habet in omnes universè, etiamsi paucissimi & olim fuerint & nunc sint, qui illius imperium agnoscant. Eodem modo Christum a mari usque ad mare dominaturum dici potest: Ab ortu etiam ad occasum magnum esse nomen Dei, affirmari potest. Quia omnibus in universum Deus semetipsum sub N.F. revelaturus erat, quod antea nunquam fecerat. Præterea quid falsius dici potuit, quam Ecclesiam in medio seculorum, a tempore Apostolorum labentium, Catholicam futuram, si Ecclesia est Romana Ecclesia. Nonné enim, ut schismaticos taceam, dimidium Europæ ab Ecclesia illa defecit? nonné plures sunt Pontificiis professione Christiani in Asia & Africa, qui Ecclesiam Romanam detestantur, *Quo sensu Christi regnum sit universale.* *Ecclesia Pontificia non est Catholica.*

vel saltem pro vera Ecclesia Christi non agnoscunt?

4. Non minùs ineptè probat, *amplitudinem istam Ecclesiæ semper duraturam necessariò.* Nam si nulla promissa est necessariò, quomodo durare potuit? Dici autem potest, *Regnum Christi dissipatum non iri in æternum, & finem regni illius non futurum*, quæ affert Smiglecius, Quia ipsa Christi potentia & imperium non sit cessurum ulli hominum potentiæ, etiamsi pauci sint vel etiam nulli, qui illud agnoscant. Quemadmodum etiam regnum ipsius Dei nulli cedit potentiæ, & tamen interim sæpissimè in hominibus nullum effectum producit. *Portas autem inferorum non prævalituras adversus Ecclesiam*, quod addit Smiglecius, verè dici potest, etsi non semper duret Ecclesia, si scilicet omnes, qui sunt Christi membra, in morte non remaneant, sed olim ex ea erepti vitam æternam consequantur. Nec enim tempus Christus innuit, per quod non sint prævalituræ portę inferorum adversus Ecclesiam, sed tãtùm ipsam rem, quod non sint prævalituræ portæ inferni adversus Ecclesiam, expressit. Tempus autem, quando illud futurum sit, aliunde colligendum est, cùm scilicet mors, qui est ultimus Christi hostis, & cujus comes est infernus, abolenda erit in adventu Christi de quo suprà.

Quomodo Regnũ Christi sit ętternũ

Quando infernus adversus ecclesiam non sit prævaliturus.

5. *Prædici potuiße, ait, amplitudinem Ecclesiæ, etiamsi in libero homini arbitrio positum sit, Christi doctrinã amplecti vel repudiare.* Sed ratio repugnat. Nam quæ in hominis sita sunt libero arbitrio, ea futura sunt contingentia. Horum autem nulla est per se determinatą veritas: Quæ verò a Deo prædicuntur, ea necessariò esse oportet. Exempla Iudæ & Petri nihil huc faciunt. Iam enim necessariò & immutabiliter decretum erat, ut unus ex Christi discipulis eum proderet. Ad hoc autem eum Christus elegit, qui ante dignus erat morte, quàm Apostolus eligeretur, nempe avarum & furem. Petrus etiam pertinaciã suâ, quâ Christi verbis, de fuga Apostolorum, divino etiam oraculo confirmatis, sese opponebat, meritus id fuerat, ut tali pœna afficeretur, ideoque necessariò id, ut decretum fuerat, sic etiam fieri oportuit.

Contingẽtia prędici non possunt.

Cur Iudas & Petrus peccarint.

6. *Nihil insulsius eo dici poße ait, quòd Prophetias de amplificatione regni Christi non ad effectum ipsum, sed consilium Dei referendum dicamus.* At firma stante hac ratione, quod ubi est contingentia futura, nihil necessariò decerni possit, insulsus is esse videtur, qui contrarium affirmat. Non nescimus, quædam interdum prædici, quæ contingentia sunt: Sed id non tamen necessariò & absolutè, sed tantùm ut valdè verisimilia.

Quomodo interdum contingentia prædicantur.

7. *Stomachum sibi motum esse fatetur Smiglecius, quòd negemus signa da-*

gna dari ulla Ecclesiæ. Quid autem causæ fuit, cur hæc res stomachum moveret Smiglecio? Num salus æterna agitur? Minimè verò. Nam si Christo quis obediat, salus sarta tecta est. Is verò, ut signa Ecclesiæ sciremus, nusquam præcepit. Vidit autem fortasse Smiglecius hac ratione jugulum suæ religionis peti, & totum illud subrui, quod tantoperè jactant pontificii de cognitionis Ecclesiæ necessitate, quo miseros homines hactenus irretitos tenent. Sed frustra id totum est, nisi doceatur, necessarium esse, inquirere, quænam vel apud quos sit Christi Ecclesia. Altercationes quidem de Ecclesia hodie sunt ferè infinitæ: sed a Pontificiis motæ; interim prorsus otiosæ & inutiles, nisi fortasse ad hoc ipsum utiles quis eas esse dicat, ut cognoscatur, quâm sint inutiles. Ex proprietatibus vel notis rem cognosci posse, non negamus: sed tunc, cùm rei propietates vel notæ extant, & cùm necesse est rem cognoscere. At si nec rei proprietates vel notæ extent, nec necesse sit eam cognoscere, nonné otiosum est, ista investigatione seipsum intricare? Signa verò Ecclesiæ esse aliqua, ubi docuerit Smiglecius, responsionem audiet. Nulla autem esse posse, jam a nostris alibi demonstratum est in controversia de Ecclesia, quæ nunc inter nostros & Miedzibozium Borcoviumque agitatur.

Notæ Ecclesiæ nullæ sunt.

8. *In Petro singulari ratione Ecclesiam fundatam, & Petro nō commune quid cum cæteris Apostolis promissum esse affirmat.* Interim non videt, quòd ipsemet sibi contradicat, dum confitetur, omnes Apostolos fundamenta esse Ecclesiæ. Quid enim singularius hoc esse possit, non video. cùm ipsa Christi summa præstantia in eo consistat, quòd fundamentum est Ecclesiæ, nempe primarium, ut Apostoli, secundarium. Atque ita patet responsio ad id, quod soli Petro nomen mutatum sit. Nam si omnes fundamentum sunt, omnes sunt Petra, & sic omnib⁹ aliis cōpetit nomen Petræ. Nec frivolum est, dicere, Petrum hac ratione primum quodammodo fuisse designatum inter Apostolos. Et si enim, ut ait Smiglecius, nullus inter cæteros Apostolos ordo sit: ordo tamen est, inter Petrum & alios omnes, qui ordo tantò est eminentior, quòd inter reliquos nullus sit ordo. Vnus enim omnibus opponitur, & omnes reliqui censentur pro uno, respectu unius Petri, ut etiam solus Petrus alicubi, pro omnibus Apostolis, excepto Paulo, sumitur. Suspectum est autem, quòd Smiglecius, hoc non contentus, Petrum ita primum constituit inter Apostolos, ut sit ipse veluti dux & princeps, reliqui verò ipsius familia. Nimis enim apparet, hoc non ideo fa-

Omnes Apostoli pares.

Petrus qua ratione inter Apostolos primus.

Petrus non est dux Apostolorū.

ctum ab eo,ut veritati, sed ut Papæ gratificaretur. Sed adulatio ista est, nisi adsint testimonia sacrarum literarum. Ascripsit locos Smiglecius Mar: 1. & 16, Luc: 8. & 9. Act: 2. & 5. Hos inspexi diligenter. nam versus non ascripsit Smiglecius: Sed nihil tale deprehendere potui. Marci enim 1. de Petro aliud nihil est,quàm quòd Christus ab initio statim suæ prædicationis Petrum & Andream ad Apostolatum vocaverit.Sed hoc ad rem nihil facit.Nam hac ratione Andreas etiam esset dux aliorum Apostolorum. Imò esset dux Simonis.Nam Ioh: 1.legitur,quòd Andreas priùs Christum cognoverit,quàm Petrus, & quòd hunc ad Christum adduxerit.

Cur Petro præ aliis nunciata Christi resurrectio.

Ex cap: autem 16, ubi dicitur. *Ite dicite discipulis eius & Petro*, tantùm colligitur,Petrum præ aliis singularem fuisse:sed causa,cur illud factum sit, non innuitur. Facilè autem fieri potest, ut ideo Petro speciatim nunciari suam resurrectionem voluerit Christus, quia præ aliis peculiariter isto nuncio egebat.Is enim non tantùm, ut alii Apostoli, a Christo profugerat, verùm etiam eundem ter abnegârat. Qua de causa etiam alibi non aliis, sed soli Petro oves suas Christus commendavit,quia scilicet alii non tam magnam dubitandi de suo munere causam habebant, atque Petrus.

Luc: 8. habetur, quòd,cum Christus interrogaret,quis me tetigit?Petrus & qui cum eo responderit:*præceptor,turbæ comprimunt te & affligunt, & dicis,Quis est quis me tetigit?* Num hinc patet, Petrum fuisse quasi ducem & principem aliorum,& non potiùs,alios fuisse socios Petri,qui idem dixerint, quòd Petrus, vel sermonem Petri tanquam ordine primi approbârint.

Luc: 9. eadem est historia quæ Matth. 16. Ergo ut Matth. 16. sub nomine Petri omnes intelliguntur Apostoli, ut in hoc capite a nobis docetur,sic etiam Lucæ 9. Act: 2. habetur, Petrum stantem cum undecim sustulisse vocem suam : sed non habetur, quòd ut dux & princeps. Satis autem est, eum ut primum ordine ita locutum fuisse. Idem etiam de loco Act: 5. statuendum est. Nihil enim ampliùs ibi dicitur, quàm Petrum & Apostolos dixisse: *oportet Deo magis obedire quàm hominibus*, quod idem est, ac si Petrus suo id & aliorum Apostolorum nomine dixisset.Potest autem unus nomine multorum loqui,non quòd eorum dux sit, imò possunt alii ipsi præstare quibusdam in rebus: sed quòd alia aliqua ratione eis præeat. Quod nos in Petro non negare, jam ante dictum fuit.

9. *Porrò ex singulari Petri confessione singularem ejusdem excellentiam colligit Smiglecius*, Sed nec singularis fuit Petri confessio, licet solus

solus id dixerit. Nam idem antea etiam & alibi de Christo omnes confessi fuerant, ut Volkelius docuerat ex c. Matth: 14, 33. & Ioan. 1. 41. 43. ad quæ obmutuit Smiglecius: nec datâ excellentiâ Petri, statim ea statuenda est, quam vult Smiglecius, & quam aliorum Apostolorum dignitas non permittit. Ineptus autem est Smiglecius dum ait, *Apostolos et si scirent, Christum fuisse filium Dei, tamen quid potissimùm Christo responderent, secum tunc reputasse.* Hoc enim est Apostolos etiam calumniari & id eis affingere, quod vix de pueris cogitare fas est, præsertim si consideretur, eos non ab hostibus sed a Christo fuisse interrogatos.

Confessio Apostolorum omnium eadem.

10. *Eandem Petri excellentiam probat eo, quòd soli Petro claves regni cœlorum datæ sint, prætermissis aliis.* Sed hoc falsum esse inde apparet, quòd alibi omnibus dictum sit: *Accipite Spiritum S. Quorum peccata remiseritis, remittuntur eis. Quorum retinueritis, retenta sunt.* Imò idem ipsi Ecclesiæ Apostolorum promissum est. Idem autem esse hoc cum clavibus regni cœlorum, nemo dubitat.

Omnibus Apostolis datę claves cęlorum: imò ipsi ecclesiæ.

Ioan: 20. 23.

Matth: 18. 18.

10. *Discrimen inter Petrū & alios Apostolos statuit, quod Christ⁹ Petrū perpetuum Ecclesiæ fundamentum ad finem usque mundi in successoribus suis duraturum assignârit.* Sed quia nihil Petro præ aliis Apostolis promissum est, aut falsum est, illum talem designatum fuisse, aut omnes Apostolos tales designatos esse, fateri necesse est, quod concedere Smiglecio primatus Papæ non permittit. Sed esto, Petro talē factam esse promissionem, quid hoc ad alios, qui locum quidem Petri tenere se gloriantur, interim doctrinâ & moribus tantum a Petro distant, quantum cœlum a terra. Nonné nova erit excogitanda ratio, quomodo id, quod uni Petro promissum est, omnibus competat, qui locum illius sibi vendicant, quæ multò erit difficilior, quàm ea est, quòd Petro ipsi talis eminentia sit promissa.

Petrus ita fundamentum ecclesiæ, ut alii Apostoli.

Petrus & Papa quantū distant.

11. *Ecclesiam ait, neminem præter Romanum Pontificem pro universali pastore agnovisse.* Quid tum postea? Quæritur enim, an jure id fecerit. Sed nec statim Ecclesia, nec diu tota, Romanū Pontificem talem agnovit. Hodie verò major pars Ecclesiæ Europeæ pro Antichristo & seductore illum habet, reliquarum verò Ecclesiarum Asiaticarum & Africarum, quæ numero multò plures sunt, nulla eum pastorem suum, nedum universalem agnoscit. Eat nunc Smiglecius, & glorietur, neminem Ecclesiam Romanam loco movere potuisse. Addat etiam illud, si velit, quòd per annos non paucos, Roma expulsus Papa, in Gallia degit.

Quando Papa pro universali ecclesiæ pastore agnitus, a quibus & quamdiu.

12. *Negat id, quod Christus dicit, portas inferni non prævalituras adversus Ecclesiam illius, ita accipi posse, conditio mortuorum non præva-*

lebit adversus eam, fretus hac ratione, *Quia Christus non in altero mundo, sed in præsenti supra Petrum ædificaturum se Ecclesiam profiteatur.* Quasi verò necesse sit de eodem mundo utrumque dici, & non possit unum, nempe quòd Christus Ecclesiam super Petrum ædificaturus sit, respectu hujus mundi, alterum, quòd scilicet portæ inferni adversus Ecclesiam non sunt prævalituræ, respectu alterius dici, ut ipsa res loquitur.

Fundamẽtum ecclesiæ esse, & successorem habere, contradictoria sunt.

13. Ait, *Volkelium non intelligere quid dicat, dum affirmat, contraria eße, imò contradictionem implicare, dicere, aliquos eße fundamentum Ecclesiæ, & eosdem habere succeßores.* Cur verò rationem non sustulit, cujus vis est, quòd, qui fundamentum est Ecclesiæ, primus sit necesse est: qui verò successor est, is primus esse non potest. Maluit autem suum commentum supponere, de eo, quid sit fundamentum esse Ecclesiæ, nempe esse pastorem ejus universalem, ut ita evasisse videretur. Quia verò falsum est istud quod affirmat Smiglecius, parumné constat, firmiter stare argumentationem nostram, & Smiglecium, cùm responsiones eum deficerent, cavillari maluisse, id, quod de hæreticis Tertullianus dixit, ad nos, suo more, pertrahendo. Quasi scilicet hæreticorum judex sit a Deo constitutus Smiglecius, ipsemet hæresi totus infectus.

Notæ in Caput XVIII.

Quaten⁹ verbum non scriptum dici potuerit verbum Dei.

1. Verbum *Dei non scriptum verè eße verbum Dei*, ambiguè dicitur. Nam antequam scriberetur, id quod nunc scriptum est, & verbum Dei est, erat proculdubio verbum Dei: At nunc, posteaquam scriptis comprehensum est verbum Dei, quicquid extra scriptum verbum Dei affertur, non verbum Dei, sed hominum est commentum. Et falsissimum est, quod ait Smiglecius, multa etiam nunc esse, quæ verè verbum Dei sint, etiamsi scriptis consignata non sint. Producat unum tale Smiglecius, nisi summæ audaciæ jure accusari velit.

Verbum nõ scriptum hodie nullum est.

2. *Locus 2. Thessal: 2. 14. Tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam*, non docet, nunc, postquam verbum Dei scriptis consignatum est, superesse aliquid, quod per sermonem discendum sit: sed tantùm innuit, Apostolum olim partim per sermonem, partim per Epistolas docuisse fideles. Quænam verò illa fuerint, quæ per sermonem olim eos docuerat, hodie non constat, nisi ex ejus Epistolis. Et etiamsi concedatur, nunc etiam idem valere,

Traditiones nullæ sunt extra epistolas Apostolicas

valere, nonné probandum restat, ea quæ hodie pro traditionibus Apostolicis habentur, esse talia? Hoc verò quomodo probabit Smiglecius? Si testimonio suorum Patrum, quis nos coget, ut fidem illis adhibeamus, cùm nullo testimonio a Deo cohonestati sint, ut eos hac in re audire nos oporteat? Denique non constat traditiones illas ad salutem necessarias fuisse. Erant enim traditiones quædam Apostolicæ temporaneæ, ut pote quæ vel circa ceremonias meras (a Christo non præceptas) versabantur, vel tantùm ad decorum Ecclesiæ & εὐταξίαν spectabant.

Traditiones Apostolicæ nō omnes fuere necessariæ ad salutem. Act: 15. 1. Cor: 11. 2. &c.

3. Dicit *eadem ratione nos teneri alia admittere, quæ Ecclesia tradit, quâ admisimus quatuor Evangelia & Epistolas Apostolicas.* Sed falsum dicit, nos ob traditionem amplecti ista Evangelia & Epistolas. Non enim quia tradidit ista Ecclesia, sed quia, quæ tradita sunt, vera esse agnovit Ecclesia, ea amplectimur. Vera autem esse cognovit Ecclesia, non suo judicio, sed quia certò cognovit ea esse ab Apostolis profecta. Itaque autoritatē suam scripta ista habent ab Apostolis, quorum ea esse constat, non ab iis, qui ea Apostolica esse primi resciverunt, & aliis id tradiderunt. Quia verò de verbo (quod vocant) non scripto probari nequit, quòd sit Apostolicum. Nihil enim in eo dignum Apostolico spiritu: Imò ea ibi continentur, quæ verbo Dei vero, hoc est scripto repugnant, quis tandem in eo acquiescat, nisi qui superstitioni & idololatriæ aliquod quærit præsidium?

Cur credam⁹ veras esse evangelia & epistolas Apostolicas. Nota.

4. Interrogat, *quibus Scripturæ testimoniis evincatur, omne verbum Dei ad salutem necessarium scriptum esse, quod verò scriptum non sit, ad salutem necessarium non esse.* Quasi verò verbum illud non scriptum, pro verbo Dei & non potiùs pro inanissimis nugis habeamus? Quasi verò necesse sit, scripturæ testimoniis aliquid evincere, de quo aliunde constare potest? Quasi denique dignum fuerit verbum illud non scriptum, cujus scriptura S. mentionem faceret? Parumné constat, ad salutem necessarium non esse istud verbum non scriptum, imò nec ad religionem pertinere, cùm verbo Dei scripto ex diametro in plerisque repugnet? Nec enim negari potest, verbum Dei scriptum verum esse. Quod igitur cum vero non convenit, quomodo verum esse potest? Nam si verum sit verbum non scriptum, non verum erit verbum Dei scriptum. Sed præterea, si dicatur, ea quæ scripta sunt, vitam æternam conciliare, jam hoc ipso dicitur, ea sufficere ad salutem, & excluduntur omnia alia. At de iis, quæ scripta sunt, id testatum reliquit Spiritus ille Apostolicus. Verum quidem est, dum dicitur, quædam ex scriptis, si credantur, conciliare vitam æternam,

Falsitas verbi nō scripti unde constet.

non excludi etiam alia, sed ista alia tantùm ad scripta in verbo Dei referri debent, non verò ad non scripta, vel scripta in isto verbo non scripto.

5. Negat Smiglecius *satis esse ad salutem in filium Dei credere, & alia multa nobis ait credenda & faciẽda proponi.* Sed quis unquam tale quid audivit? Scriptura enim disertissimè ait & creberrimè: *Qui credit in filium Dei habet vitam æternam.* Et iterum ait: *si credideris in corde tuo, quòd Deus Christum ex mortuis resuscitavit, servaberis.* Hîc verò audimus, multa adhuc nobis credenda & facienda proponi, præter fidem in Christum. Prodidit hîc iterum Smiglecius, quantum in vera Theologia profecerit. Animadvertendum est autem, ideo fidei in Iesum Christum, eique soli, salutem tribui, quia omnia ad eam necessariò referenda sint, quæ ad salutem consequendam sunt necessaria. Quæ ad duo potissimum capita referri possunt, quorum unum Christo debitum honorem & cultum, alterum eidem debitam obedientiam continet.

Ioh: 3. 18. 1. Iohan: 5. 13. Rom: 10. 9.

Soli fidei in Christum sal⁹ tribuitur, & cur?

6. *Verba Ioh: 20, Hæc scripta sunt, ut credatis in filium Dei, & credentes vitam habeatis in nomine ipsius*, negat, eo sensu accipienda esse quòd, quæ Ioãnes scripsit, ad salutem sufficiant, *Quorsum enim, ait, alia Evangelia & aliorum Apostolorum scripta?* At ego dico, ideo alia etiam extare Evangelia & Apostolorum scripta, ut tantò sit confirmatius Christi Evangelium, quod sufficienter (quoad salutem) à D. Ioanne conscriptum fuerat. Ait iterum, *D. Ioannem institutionis cœnæ mentionem non facere, eam tamen ad salutem necessariam esse.* Sed præterea, quæ dixerat Volkelius, quòd non pauca dicantur Ioan: 13. quæ circa eam facta sunt, unde conjectura fieri potest de cœnæ institutione, continetur ea fide in Iesum Christum, ut & alia omnia præcepta, quorum tamen nullam facit mentionem D. Ioannes. Hæc autem jam tunc scripta ab aliis extabant. Scripsit igitur D. Ioannes, quæ ad fidem in Filium Dei excitandam sufficiebant: Quæ verò esset fidei istius natura, quæ proprietas, aliunde jam constabat.

Quo sensu sufficiant scripta D. Ioãnis ad salutẽ.

7. *Propria interpretatione nos scripturas interpretari affirmat.* Sed primùm scripturarum bona pars nulla eget interpretatione, sed sola fidei adhibitione, nempe ea, quæ ad salutem necessaria continet. Quomodo igitur eam interpretemur? Deinde verò, quam scripturæ partem interpretamur, non propria interpretatione interpretamur, sed eâ, quam admittat illa pars, quæ per se ita clara est, ut nulla egeat interpretatione. Itaque errare hac in re nullo modo possumus.

Quomodo in scripturę interpretatione procedendum.

8. *Locum Petri, qui disertè de prophetia scripturæ loquitur, non de Prophetia absolutè, sed de omnibus scripturis accipiendum esse*, ait, *Quia non mi-*

2. Pet: 1. 20.

non minùs Spiritu Dei acti scripserint etiam alii Apostoli, ut olim Prophetæ. Sed nihil proficit. Nam non semper eadem ratione eos, qui Spiritu Dei aguntur, scribere necesse est. Iam si scribant talia, quæ nulla egeant interpretatione, quomodo interpretatio jure adhiberi ad ea intelligenda potest? Qualia sunt omnia quæ ad salutem pertinent.

Non semper eadē scribūt, qui Spiritu Dei aguntur.

9. *Docet alias etiam scripturas præter prophetias esse difficiles.* Sed duplici vitio. Nam primùm locus ex Petro allat[9] non de scripturis loquitur, sed de rebus ad materiā loci subjectā, quæ est, doctrina de adventu Christi pertinentibus. Est enim in Græco ἐν οἷς genere neutro, cùm tamen scribendum fuisset ἐν αἷς, si ad Epistolas Pauli Petrus respexisset. Deinde quod secundùm quid dictum est expresse à Petro, nempe *quædam* esse difficilia, id absolutè Smiglecі[9] ad omnes scripturas summa vi pertrahit. Possunt autem multa, imò plæraque esse facilia, etiamsi sint quædam difficilia: Imò, quia quædam sunt difficilia, quædam facilia esse, vel ex hoc ipso loco constat. Non sequitur autem ex eo, quia ista difficilia quædam homines indocti & instabiles depravant ad suam ipsorum perditionem, ea ad salutem esse necessaria. Potest enim homo Christianus illa tandem, quæ sunt difficilia, intacta relinquere, adeoque ignorare, & tamen servari. Si tamen ea investigare velit, numquā errabit, si adversus ea, quæ per se clara sunt, nihil admittet: & potest aliquis tam ea, quæ ad salutem sunt utilia, quàm quæ necessaria, ad propriam perditionem depravare.

2. Pet: 3. 16.

Scripturæ difficiles, non omnes.

10. *Reprehendit porrò Smiglecius modum scripturas interpretandi, quem nos sequendum esse dicimus, & suæ Ecclesiæ modum prolixè commendat.* At ego inprimis hic illud observandum puto, quod jam aliquoties dictum est, & ad hanc rem plurimùm facit: In scripturarum bona parte intelligenda, nulla opus esse prorsus interpretatione. Ita enim concepta est, ut aliquis sana mente præditus, absque ulla interpretatione, eā capere possit. Ea autem sunt, quæ ad salutem requiruntur necessariò. Porro nihil periculosius, imò etiam ineptius dici posse credo, quàm scripturæ interpretationem ab Ecclesia petere. Primùm enim id scriptura nusquam præcipit. Deinde fieri id nullo modo potest. Nam si scripturæ interpretationem ab Ecclesia petere debeo, necesse est, ut constet, Ecclesiam ea in re errare non posse. Hoc verò unde quæso constare potest, quàm ex scripturis & sensu illorum percepto? Nam si scripturas & sensum illorum non percipiam, quomodo intelligam, sacras literas de Ecclesia prædicare, quòd scripturarum interpretationem ea teneat? Iam si sensum scripturæ intelligere me necesse est, priusquam credam, Ecclesiam scripturas interpretari posse, parumné liquet, non modo absurdum esse, sed manifestam

In potissima parte scripturæ nulla est opus interpretatione.

Interpretatio scripturæ cur non petenda ab ecclesia.

ſtam etiam implicare contradictionem, ſi quis dicat, ab Eccleſia ſcripturarum interpretationem petendam eſſe. Relinquitur igitur, ut ipſam Apoſtolorum interpretationem in ſcripturis intelligendis ſequamur. De his enim dictum eſt: *Qui vos audit, me audit.* Hoc verò tàm de obſcuris, quàm claris & perſpicuis ſcripturarum partibus intelligendum eſſe, nihil ſanè prohibet.

Apoſtolorum interpretatio ſequēda in ſcripturis illorum.

11. *Scripturarum interpretationem ex Scripturis petendam* negat Smiglecius. *Quia hac ratione lites nō dirimantur. Omnes enim nos* (quos hæreticos dum appellat, Ieſuitę munere ſe egregiè perfunctū eſſe credit) *hanc viam inſiſtere, nec tamen in ſcriptura intelligenda convenire.* Sed & in plurimis omnes convenimus, qui a Papatu ſeceſſimus, hoc unico medio uſi, quòd ſcripturas cum ſcripturis contulimus: & ſi in quibusdam non convenímus, hoc non vitio iſtius collationis ſcripturarum, ſed vitio eorum qui iſtam collationem admittere nolentes, autoritati doctorum tum antiquorum tum recentiorum nimis tribuunt, fieri ſtatuendum eſt. Hoc verò ideo ferendum eſt, nec mordicus aut præcisè curandum ut tollatur, quòd nulla ſit neceſſitas ut id fiat, quia ſcilicet iſta, in quibus diſcrepamus, ſalutem per ſe non tollant, quantumvis id aliter quibusdam videatur. Iudicem autem in Chriſti Eccleſiam introducere, qui omnes controverſias decídat, & cujus autoritate ſtandum ſit omnibus, etiamſi quis id non approbet apud animū ſuum, eſt, conſcientię frena injicere, religione ſublata hypocriſin introducere, &, ut uno verbo dicam, Antichriſtum in Chriſti Eccleſia ponere.

Concordia inter eos, qui a papatu ſeceſſerunt in quibus.

Cur in reliquis op⁹ ſit tolerantiâ

Iudice in eccleſia nullo opus eſt

12. *Regulam à nobis poſtulat, ad quam omnes controverſiæ examinari poſſint ac debeant.* Hanc igitur iterum aſcribimus. Bona pars ſcripturæ intellectu facillima eſt, ut ipſa res loquitur, & Dei providentiâ, quæ in religione maximè apparet, poſtulat. Nempe ea, quæ ad ſalutem neceſſaria continet. Hæc firmiter tenenda ſunt. Reliqua verò omnia ita interpretanda ſunt, ut hæc pars, quæ per ſe eſt facilis & clara nunquam aliis cedat, ſed ad eam omnia redigantur. Hoc ſi fiat, errori nunquam locus erit.

Regula de examine controverſiarū religionis.

13. *Quid ſit probare ſpiritus, an ex Deo ſint, nudè aſcripſit ſine ulla probatione Smiglecius.* Itaque & ego noſtram ſententiam aſcribam: Spiritus probare an ex Deo ſint, eſt, inveſtigare, an id, quod alii ſibi a Deo revelatum, præter doctrinam Apoſtolicam, dicunt, cum doctrina Apoſtolica conveniat. Nam quia Apoſtolica doctrina ex Deo eſt, non poteſt non convenire cum ea, quod a Deo aliis, ad eandem doctrinam pertinens, revelatum eſſe prædicatur.

Quid ſit probare Spiritus, an ex Deo ſint.

Notæ

Notæ in Caput XIX.

1. Gloriabundus hoc Caput sic incipit Smiglecius: *Hîc penitus causa concidit Volkelius, & vi demonstrationis victus succubuit.* Hoc an verum sit, expendamus. Objectum erat, *Ministros Evangelicos nullum Evangelio dignum fructum afferre*, & probatum eo, quòd *nullus ex secta nostrorum prodierit, aliqua sanctitate insignis: nullus vadat & vendat omnia: nullus castitatem perpetuam servet, ad eamvé voto se astringat: nullus Ioannis Baptistæ exemplo ad desertum se conferat, nullus divinarum rerum contemplatione in cælum usque raptus: nullus divinæ dulcedinis inebriatus animi deliquium passus sit*, &c. Responsum est. 1. Hæc plæraque, ut singularia, ad Ministerii essentiam non spectare: & quia præcepta non sint, a nemine Ministrorum exigenda esse necessariò. Dictum fuit iterum, non necesse etiam esse, ut Minister tales ex secta sua prodiisse ostendat. Additum fuit, eos, quorum exempla nobis proponit Smiglecius, Ioannem Baptistam, Paulum, & Ioannem Apostolum, fuisse nostrarum Ecclesiarum membra, idque tum ex doctrina, tum ex vita ipsorum constare, in quibus nihil cum Pontificiis commune habent. Dictum porrò fuit, inter Romanenses nihil etiam tale apparere, quale de Ioanne Baptista & Apostolo narratur. Istam verò matrimonii vitationem, vota castitatis, & vitam monasticam, ita esse comparata, ut ex illis non sanctitas & puritas vitæ, sed horum contraria emergant. Denique ostensum fuit, extitisse & existere non paucos nostrorum cœtuum homines, qui verâ vitæ sanctimoniâ ex præscripto Christi aliis præiverunt, & etiamnum clarent. Quos quia non proclamamus, vel, ut Pontificii, in numerum sanctorum non referimus, istud prohibet, quòd, ut ipse Christus ait, etiamsi omnia fecerimus, quæ nobis præcepta sunt, servos tamen nos inutiles esse dicere debeamus; Et quod nihil ante tempus judicare licet, Dominus enim est qui judicat, qui & illuminabit abscondita tenebrarum & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique a Deo. Videat igitur lector cordatus, an vera sit ista Smiglecii gloriatio. Addo nunc hæc duo. Vnum: plus Baalis causâ videbâtur facere Baalitæ, quàm Elias Dei causâ. Nam isti corpora sua scindebant: hic verò minimè. Et tamen hic Deo solus probabatur: reliqui omnes interemti fuere? Non curat scilicet Deus, quid homines, quantumvis grave & carni molestum faciant, nisi id secundùm Dei voluntatem fiat. Alterum: plures fortasse martyres Evangelicos seculum hoc unum elapsum habuit,

Pontificia Sanctitas qualis.

Cur non jactanda sanctitas.

Non omne, quod grave, sanctũ est.

Sanctitatis Evangelicorum documenta.

quàm omnia ab ipso Evangelii initio secula. Quæ res instar mille miraculorum est, & veræ sanctitatis evidentissimum documentum.

2. *Per se ex doctrina Evangelicorum sequi affirmat, quòd homines non sint vera pietate conspicui.* Sed hoc nihil ad Volkelium & nos, qui doctrinas illas non sectamur. Quanquam inter ipsos etiam Evangelicos, (quos vocant) multos verè Deo devotos viros extitisse & existere nec ipsa invidia negare possit. Solet enim Deus interdum efficere in animis probis, ne vim suã exerant dogmata quædam ad pietatẽ extinguendã apta: sed ut ea obtineãt, quę expresse à Christo pręcepta extãt.

3. *Fatetur Smiglecius, ad essentiam Ministrorum non pertinere, ut ex cœtibus suis viros singulari pietate ostendant.* & tamen dicit ex fructibus talibus eos cognosci debere. Si ex hujusmodi fructibus cognosci debent, ad essentiam muneris ipsorum necessariò id pertinet: si non pertinet necessariò ad ipsorum munus, quomodo ex eo cognosci debent? Quanquam vitiosè id ad Ministros refert Smiglecius, quod de falsis Prophetis Christus dixit. Hos ex vita impia Christus cognosci voluit, quia scilicet Deus nunquam sit permissurus, ut falsi prophetæ, hoc est, ii, qui se a Deo missos esse falsò gloriantur, & ita commentis & somniis suis a veritate Apostolica alios abducunt, piè vivant, quod etiam ex 2. Pet: cap. 2. & Epistola D. Iudæ ad oculum videre est: At Ministrorum alia est ratio. Non enim is, qui impius Minister est, falsus Minister est necessariò. Potest enim esse impius & tamen veritatẽ tenere: sed talis in munere Ministerii ferendus non est. Nã si quivis fideliũ, si sit avarus, rapax, ebriosus, convitiator, &c. excõmunicandus est, quantò magis is, qui aliis vitæ sanctimonia præire debet, ab officio removendus, imò etiam ex Ecclesia eliminandus erit. Sed hæc hodie omnia, proh dolor, neglecta jacent: Interim Monachi & Iesuitæ, vana ostentatione inflati, aliis insultãt, & manticæ, quod in tergo est, videntes videre nolunt: aliis perditionẽ minantur, quam ipsimet metuere jure debebant. Quam corruptelam Deus clementer corrigat.

Falsi prophetæ qui impii.

Notæ in Caput XX.

1. Vitium formæ syllogisticæ purgat Smiglecius. Sed an rectè judicent eruditi. Nisi enim omnibus Ministris & semper cooperetur Deus, quomodo major universalis esse potest? Non cooperari autem omnibus, testantur sacræ literæ, dum ajunt, non omnibus etiam primis, qui tempore Apostolorum Ministri verbi erant, datum esse donum miracula faciendi. Aliis enim ait datas fuisse operationes virtutum, ergo non omnibus. Et iterum. Non omnes, ait, virtutes, scili-

Ad Lectorem.

HABES, candide lector, breviusculam responsionis Smiglecianæ refutationem, ex qua divinæ veritatis, cujus nos Deus alto suo consilio professores esse voluit, firmitatem, & pontificiorum inanes in ea oppugnanda machinationes intelliges. Quæ enim ab iis afferuntur, dicuntur, scribuntur, non divina oracula sunt, sed Ecclesiæ illorum commenta: tela eorum, aranearum telæ, sophismata, cavillationes, calumniæ, arrogans aliorum contemtus & similia, quibus ita scripta sua plærunque onerant, ut illis demtis vix aliquid superfuturum videatur.

Plessæi (quem Ministrũ fuisse equidẽ nescio, nec Smiglecius) docuit gravem accusationem audio, ex testimonio Frontonis Ducæi, & Episcopi Ebroicensis, hoc est, hostium illius: sed non ex literis REGIS Galliæ. Quanquam unius hominis lapsus (si ita sit,) nobis omnibus fraudi futuros apud cordatos, minimè spero.